DE

SAXONUM ORIGINE ET REBUS
AD CAROLI MAGNI USQUE AETATEM
AB IIS GESTIS.

DISSERTATIO HISTORICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXVII. MENSIS JUNII A. MDCCCLXVIII.

IN PUBLICO DEFENDET

HENRICUS HOCKENBECK,

GUESTFALUS.

MONASTERII.
TYPIS COPPENRATHIANIS.
MDCCCLXVIII.

AVUNCULO SUO,

REVERENDO DOMINO

BERNARDO DIEPENBROCK,

DECANO RURALI, SCHOLARUM INSPECTORI, ORD. GUELF. IV. CL.
EQUITI etc. etc.

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VULT

SCRIPTOR.

Prooemium.

Gentium illa migratio, quae saeculo quarto post Chr. n. ad finem vergente in imperium Romanum ingruens quaque fere parte fines non solum, sed complures etiam provincias inundabat, finem saluti rei publicae imposuit, quae jam diu quovis modo labefactata et destructa erat. Longum enim per tempus vitiis erat defatigata atque intestinis libidinibus, omnibus fere vinculis solutis, dilacerata, ita ut disciplina bellica rationesque rerum publicarum constituendarum et tuendarum veteris gloriae splendorem vix sustentarent, et singulorum tantum virorum ingenium atque virtus in aliquod tempus inhiberent rei publicae praecipitem ruinam. Nam quum seditiones, dissidia, bella intestina imperatorum, quorum saepe complures eodem tempore creabantur, tum ista, quae vires et nervos civitatis exhauriunt, vitia, avaritia, luxuria, saevitia imperatorum et militum, mores denique totius fere populi depravati auctoritatem vitamque rei publicae omnino subruerent, fieri non poterat, quin hostes quamcunque occasionem rei gerendae avidissime amplectentes latos imperii fines infestissimi vexarent atque lacesserent. Praesertim autem illae, quae trans Rhenum et Danubium Germaniam incolebant gentes, non cessabant, continuis irruptionibus vicinas imperii provincias defatigare, depraedari, populare; quo factum est, ut imperatores, quum hostes bello opprimere non possent, magnam, si quam vicerant gentem, virorum partem in remotos regni fines colonos nonnunquam abducerent, aut aquilas in hostes sequi cogerent.[1]) Nonnulli quidem imperatores, Maximianus, Julianus, alii, consilio et fortitudine insignes Alemannorum et Francorum populos iterum iterumque imperii fines vastantes rejiciebant; sed quum initio saeculi quinti post Chr. n. multi

---

[1]) cf. Zosim. lib. I. c. 73.

Germanici populi Rha intra et Rhenum habitantes laribus relictis novas sibi sedes condere cuperent imperiumque Romanorum iis arrideret, de eo omnino erat actum; unum et alterum rei publicae corporis dilabentis membrum resolutum est. Diutius enim occidentalis Romanorum imperii populi ad interitum defessi Germanicis populis viribus integris vigentibus resistere non potuerunt.

Namque quum Honorius occidentalis imperii Romani imperator legiones ad Italiam ipsam tutandam e terris Rheno adjacentibus revocasset, magna populorum vis in fines imperii milite nudatos irrupit. Franci, quos vocant, Salii septentrionales, Burgundiones orientales, Wisigothi acerrimis pugnis victores meridianas Galliae partes occupant, Alani Hispaniam obsidunt, Vandali per Hispaniam Africae septentrionales oras maritimas sibi subjiciunt, Saxones, gens valida et rebus maritimis dedita, Britanniam capiunt. Italia ipsa ab Hunnorum immani exercitu vastata et a Vandalis saepissime bello sollicitata perpaucos tantum nullius momenti imperatores Germanicarum gentium ducum arbitrio et potestati traditos vidit, donec Julio Nepote interfecto imperium Romanum occidentale maxime affectum concussumque a Germanis funditus eversum est. [1])

Omnium vero, qui meridianas praecipue provincias Romanas occupaverant, populorum civitates accuratius considerantem effugere non poterit, eas quaque fere ratione adolevisse et ad magnum splendoris et gloriae fastidium celerrime pervenisse. Quum autem paternis moribus, institutis, legibus, neglectis iis, quae victoriis sibi paraverant, frui perniciosaeque morum depravationi se tradere coepissent, quaecunque praeclara et summa protulerant, ipsis cum populis non longo temporum decursu una conciderunt corrueruntque.

Solus ille Francorum populus, qui in novis sibi sedibus parandis enervatis meridianarum provinciarum populis per multum tempus procul fuerat et affinibus Germaniae gentibus viribus validis nequaquam se abalienaverat, multo magis, quam ceterae in Romanis finibus conditae Germanicae civitates aptus videbatur ad ea, quae Germaniae populis maxime propria erant, servanda atque excolenda.

[1]) cf. Leo, Vorlesungen über die Geschichte des deutschen Volkes und Reiches. I. p. 258 sqq. p. 321. — Gibbon. Geschichte des Verfalles und Unterganges des römischen Reiches. VIII. p. 267 sqq. p. 348 sqq; 405 sqq.

Hic populus, cujus primordia in Mosae Scaldisque fluminum ripis quaeranda, non majoris momenti erant, quam illa imperii Romani plus quam mille annis ante in Tiberis ripa conditi, eodem fere tempore, quo istae in Romanis terris Germanicae civitates, effloruerat, sed omnibus his diutius integer stabat omnesque fere postero tempore sibi subjiciebat. Cujus rei causa sita est in condenda Francorum civitatis ratione ab illis plane diversa; qua factum est, ut in excolendis rebus publicis et privatis longe alia via, atque illae, Francorum civitas procederet. Non enim ex magno bello terrarum expugnandarum causa suscepto regnum Francorum originem suam ducit, sed ex militari illo Germaniae populis tam proprio comitatu paulatim est ortum.[1]) Accedit, quod initio terrae non latae, sed minus extentae subjiciebantur, quibus populi Francorum vis non minuta et debilitata, sed aucta et confirmata est, praesertim quum incolae in victorum ditionen plane abirent. Ad quod efficiendum magnopere id contulit, quod jam inde a quarto saeculo p. Chr. inferioris Rheni ripae a Germanis incolebantur, et minor tantum incolarum pars erat Romana. Imperatores enim Romani in regiones ibi sitas Germanos abduxerant colonos, et Constantino imperante Franci terras, quae patebant Augustam Trevirorum inter et oceanum, incolebant.[2]) Franci erant domini devictorum populorum; ceteri vero in Romanis finibus Germanici populi nimis peregrini manebant neque devicti incolae cum iis in unius populi corpus coalescebant, sed Romanae

---

[1]) Nihil enim est, quod nobis suadeat, cum Ledebur „Land und Volk der Brukterer" p. 251 credere, primordia regni Francorum sita esse in foedere, quod inferioris Germaniae terras incolentes populi, quum a Maximino gravi bello premerentur, inter se icerint. Talis enim confoederatio, simulatque causa ejus sublata erat, omnino nullius jam fiebat momenti, id quod videmus in Cheruscorum foedere quondam facto.

Discordes enim et invidi populorum animi exceptis communis periculi temporibus firmam singularem civitatem efficere nec voluerunt nec potuerunt. cf. Tacit. Hist. IV. c. 76: „Nam Germanos (adfirmabat), qui ab ipsis sperentur, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere." — Wietershéim, Geschichte der Völkerwanderung. II. p. 339. — De Leonis Prof. sententia cf. Ledebur: „Blicke auf die Literatur des letzten Jahrzehnts zur Kenntniss Germaniens zwischen Rhein und Weser . . . p. 65.

[2]) Rospatt. Kritische Beiträge zur ältern Geschichte der Franken. Programm des Gymnasiums zu Münstereifel, 1835. p. 5—9.

et Germanicae vitae propria nullo modo permixta sed sincera vigebant, forma tantum non re conjuncta. In Francorum autem regno alterum alteri supplemento erat et invicem perfundebatur, non vero ea ratione, ut Francorum mores et instituta in Romanorum res domesticas et publicas prorsus abiissent. Nam majorum moribus dediti Franci vim suam adaugebant opibus ex integris Germaniae populis desumtis.[1] — Id quam verum sit, eo maxime comprobatur, quod orientalis regni pars Germanica, quum corrupti et plane deperditi illi Merovaei posteri magis magisque regnum ad exitium vocarent, natalis fuit excellentium illorum e Pippini genere ortorum virorum, qui et magno ingenio et virtute summa praediti perbrevi tempore Francorum regnum non solum ab interitu ad salutem revocaverint, quin etiam ejus vim et gloriam valde adauxerint et confirmaverint. Quare Francorum populus natus videbatur ad ea excolenda, quae a Romanis moribus et institutis sibi vindicaverat et maxime aptus ad reconciliandas et Romanorum et Germanorum proprietates.[2] Satis autem id quoque in aperto esse videtur, humanum civilemque Romanorum regni incolarum cultum ad commutandam vitam Germanicam temporum decursu multum valuisse, ita ut complura, quae ad Germanicam vitam pertinent, propria impedirentur, minuerentur, opprimerentur. Quo factum est, ut Franci ab affinibus regni orientalis populis, qui majorum sinceris perpetuo utebantur moribus, multis variisque rebus abalienarentur. In Germanicis quidem proprietatibus sita erat Francorum regni vita et incrementum, sed cum aliena terra peregrinisque institutis Romanis conjunctio propria ejus erat natura.

Ut autem omnes, quas subegerant, Germanicas gentes iisdem legibus et institutis ad unum populum unumque regnum consociarent, cujusque naturae convenienter excolerent, talisque regni firmitatem diuturnam redderent, Franci nullo usquam modo efficere potuerunt. Francorum igitur regni orientales et occidentales populi origine, lingua et moribus ex parte diversi postero tempore sejungerentur necesse fuit. Constat quidem, Francos ceteris regni Germanicis populis in rebus et domesticis et bellicis excolendis

---

[1]) Giesebrecht. prooem. ad Gregor. Turon. p. X sqq. in „Die Geschichtsschreiber der deutschen Vorzeit. VI. Jahrh. Bd. 4.

[2]) cf. Leo. l. c. I. p. 334.

multum profuisse, sed hae res ut ea ratione, quae omnibus horum populorum vitae conditionibus maxime respondet, ad summum perfectionis gradum perducerentur, ut omnes ejusdem generis, linguae et moris populi unum civitatis corpus redderent, tali hujus civitatis gubernacula tenenda erant populo, qui majorum mores, leges, instituta maxime sincera, alienis rebus non permixta, servaverat et ad hoc opus perficiendum prae ceteris validus erat. Hoc autem absolvendum saeculo decimo post Chr. n. a Divina providentia Saxonum populo mandatum est, de quo Conradus rex moriens dixit: „Rerum publicarum secus Saxones summa est.“[1]) Saxonum enim populus, ex antiquis temporibus in inferioris Germaniae finibus habitans a potentissimo illo Francorum principe Carolo Magno multis acerrimisque proeliis victus quidem est et regno adjunctus; maxime tamen prae ceteris regni populis deditus erat atque manebat moribus majorum vetustate probatis neque ullam magni momenti vitae et naturae Germanicae jacturam fecerat. Quo fit, ut Saxones Caroli Magni temporibus vigentes iisdem, quos Tacitus describit Germanicos populos, omnino similes esse credas. Longe aliis ac Franci usi sunt moribus et institutis; quare etiam in omnibus, quae ad vitam domesticam et publicam pertinent, rebus excolendis longe alias, ac Franci rationes sunt secuti. Quas ad res melius intellegendas, quum multi jam viri docti de hujus populi statu et conditionibus alii aliis viis inquisiverint multaque bona et egregia scripserint, equidem mihi proposui, ejus res gestas ex ipsis fontibus eruere atque describere. Nam rebus bellicis cujusvis et praesertim Saxonum populi vita et natura maxime apparet. Priusquam autem ad res ipsas aggrediar, necesse erit, de hujus populi origine atque nomine inquirere. Tum ad res bellicas transiens, bellis atque excursionibus antiquissimis temporibus factis, quantum fieri potest, illustratis, praecipue eas, quas cum Francis gesserunt, res perscrutabor. Hae enim latius et uberius exponendae esse videntur, quia cum his, qui temporis intercessu infestissimi eorum hostes facti erant, per tria fere saecula continua gesserunt bella iisque subjecti, quod ad res et divinas et, quas vocant, sociales attinet, plurimum debuerunt.

---

[1]) cf. Witichind. Corbei. ap. Meibom. Rer. German. scriptor. tom. I. p. 636.

Antequam autem ad hanc disputationem me accingam, primum fontes, ex quibus horum temporum historia haurienda est, breviter recensere necessarium esse videtur.

De fontium fide.

In cujusvis vel populi vel aetatis historia describenda cavendum est, ne cuique fontium, ex quibus historia eruenda est relationi integram fidem attribuas. Multa enim in iis persaepe inveniuntur, quae summae suspicioni praebent locum, praecipue in iis scriptis, quae post saeculum alterum post Chr. n. orta sunt. Nam plerisque eorum auctoribus omnino desunt eae virtutes, quae in bono historico volumus esse, ut ratio critica, mentis sagacitas, animus superstitione liber, rerum humanarum perspicacitas et cognitio, cura, cogitatio, vigilantia, diligentia, aliae. Rerum scriptoribus, qui praecipue de Saxonum origine, nomine atque rebus gestis referunt, multis atque diversis causis partim major, partim minor fides est habenda. De Graecorum et Romanorum, qui nonnulla de Saxonibus commemorant, scriptorum fide hoc loco disserere necessarium non videtur, quia de his, scil. Zosimo, Marcellino, Jornande, aliis judicium, quod ad eorum fidem historicam attinet, unum fere idemque apud omnes viros doctos constat. Ceteris autem, in quorum scriptis nonnulla de hoc populo relata inveniuntur, quanta fides tribuenda sit, paucis exponam.

1. Gregorius Turonensis, natus circa annum 540, ab anno 573 usque ad annum 594 episcopus Turonensis, populi sui historiam decem libris descripsit, qui tamen non uno tempore, sed paulatim, duobus longioribns temporis spatiis interjectis, orti esse videntur. Quamquam dubium non est, quin Gregorius tales tantum res, quae probatae ei videbantur, receperit et, ut vera tantum traderet, maximam operam dederit, tamen omnibus ejus relationibus credi non potest. Ubique enim prodigia, miracula et revelationes divinas occurrunt, deest in rebus conscribendis animus quidam attentior; sine cura et acri judicio auctor res, praecipue eas, quae non ad Francorum regni historiam attinent, denotat. Quo fit, ut permultae relationes, praesertim in prioribus libris a vero omnino abhorreant. Quo minus autem tempus, quo res

gestae sunt, ab ejus aetate distat, eo majus relationi earum credendum est. Et non est, cur dubitemus, quin ea summa fide digna sint, quae ipse aut vidit aut ab aequalibus suis audivit.[1])

2. Fredegarius scholasticus quidam circa medium septimum saeculum chronicon, quod vocatur, composuit quinque librorum, in quibus res usque ad annum 641 gestas conscripsit. Insunt tamen multi et cujusque generis errores. Tres priores libros excerpsit ex Hieronymi, Idatii et Isidori scriptis, quartum e Gregorio Touron. Quintus autem liber, qui res ab anno 583 usque ad annum 641 complectitur, quo tempore ipse vivebat, fide minime caret. Praeterea hujus temporis spatii et Franciciae et Germanicae historicae unicus fons est.[2])

3. Gesta Francorum anno 725 ab incerto auctore conscripta a Francorum origine incipientes priore parte, quae res usque ad annum 641 gestas continet, minoris pretii sunt, quum Fredegarius in chronico easdem res ad hunc usque annum gestas multo accuratius describat. Ab hoc autem anno in longum tempus unicus fons sunt et quo magis scriptoris aetati appropinquant, eo minus a vero abhorrent, ita ut iis summa cum utilitate uti possis.[3])

4. Fredegarii continuatorum opera jam pluris, quam Gesta Francorum aestimanda sunt. Describunt res a Carolo Martello et Pipino III. gestas, ab anno 720 usque ad regis Pippini mortem. Childebrandi, Caroli Martelli fratris, impulsu horum Fredegarii continuatornm scripta orta sunt. Qua ex re, quum recte concludi possit, Childebrandum apud fratrem multum valuisse, itaque hos continuatores optimis certisque nuntiis instruxisse, sequitur, ut relationibus eorum magnam fidem habere possimus.[4])

5. Bedae historia ecclesiastica ante annum 735 composita, spectatissimum illius temporis opus, maximi quidem pretii est, sed haud paucis fabulis commixta, id, quod e narratione de fra-

---

[1]) cf. Giesebrecht. l. e. p. XXIX, XXXVIII, sqq. — Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter, p. 60. sqq.

[2]) cf. Die Geschichtsschreiber der deutschen Vorzeit. VII. Jahrh. Einleitung zum Fredegar. Wattenbach. l. c. p. 66. sqq.

[3]) cf. Wattenbach. l. c. p. 70.

[4]) cf. Geschtsschr. d. d. V. IX. Jahrh. Bd. 2. p. 11, 12. — Wattenbach l. c. p. 79.

tribus, qui Ewaldi vocantur, satis elucet. Ratio critica ei omnino deest. [1])

6. Vita St. Bonifacii a Wilibaldo sacerdote quodam, jubente Lullo, episcopo Moguntiacensi, et Megingotio, episcopo Wirzeburgiensi, St. Bonifacii aequalibus ante annum 768 descripta est. Horum virorum relationes auctor conscripsit. Quo fit, ut res majoris, quam eas anterioris fontis, fidei dignas esse putes. [2])

7. Annales Laurissenses majores, qui res inde ab anno 741 gestas tradunt, imperatoris Caroli Magni jussu orti videntur, quare, quas continent res, certae et indubiae sunt habendae. Simili fere modo annales Metenses, quamquam saeculo decimo post Chr. n. orti sunt, multas memoriae praecipue dignas res, quae a Pipino rege gestae sunt, complectuntur. [3])

8. Annales Fuldenses ab Enhardo, monacho quodam, circa annum838 compositi multas res ex Einhardi annalibus Laurissens. major., aliis, exscriptas tradunt, sed ita, ut res ibi relatae, praesertim eae, quae ad Francorum regnum orientale pertinent, multo latius et accuratius exponantur. [4])

9. Rudolphi Fuldensis Translatio St. Alexandri intra annos 863—865 composita et a Meginhardo discipulo ejus anno 865 perfecta, parvam et valde contractam Saxonum historiam praemittit, quae ea de causa nonnullo nobis pretio est, quia relationes, quamquam persaepe fabulosas, de hujus populi antiquissimis temporibus nobis tradit. [5])

10. Regino, abbas Prumensis brevi ante annum 915 chronicon universale composuit. Divisum est in duos libros, quorum alter res a Christo nato usque ad Caroli Martelli aetatem gestas enumerat. Usus est auctor Bedae chronico, Gestis Francorum, annal. Lauriss. Chronologia ejus erroribus referta atque ob brevitatem saepe obscura est. Attamen ejus ratio historiae describendae nova est et narratio prae ceteris elegans. [6])

---

[1]) Wattenbach l. c. p. 81.

[2]) Wattenbach l. c. p. 83.

[3]) Wattenb. l. c. p. 106.

[4]) cf. Die Geschtsschrb. d. d. Vorz. IX. Jahrh. Bd. 9.

[5]) cf. D. G. d. d. V. l. c. Bd. 7. — Wattenb. l. c. p. 130.

[6]) cf. D. G. d. d. V. l. c. Bd. 14.

11. Wittichindus Corbejensis anno 967 historiam populi Saxonum epica quadam ratione scripsit. Fabulas enim hujus populi praesertim bella et proelia latius narrat. Relationes de Saxonum origine ex antiquis populi carminibus hausisse videtur, quo sequitur, ut multis variisque vitiis historia ejus laboret.[1])

Hi fere sunt fontes, e quibus prae ceteris historia Saxonum originis et rerum ad Caroli Magni usque aetatem ab iis gestarum eruenda est. Paulum Diaconum non attuli quia ejus de Saxonibus paucae relationes totae fere e Gregorii Túronensis historia Francorum exscriptae sunt. Ceteri autem, quos in adnotationibus attraxi, annales, ut annales Bertiniani, chronicon Moissiacense, alii, quod ad nostram disputationem attinet, tam parvi momenti sunt, ut hoc loco omitendi esse videantur. Omnes enim eadem, quae annal. Laurissenses majores aut Enhardi annales Fuldenses, referunt.

---

[1]) cf. D. G. d. d. V. X. Jahrh. Bd. 6. p. X. — Wattenb. l. c. p. 108 sqq.

PARS PRIOR.

De Saxonum origine et nomine.

§. 1.

De Saxonum origine.

Potentissimae hujus gentis sicuti omnium fere antiquitatis gentium primordia jacent tenebris obruta. Ea enim, quae de Saxonum origine a rerum scriptoribus tum Graecis tum Romanis relata habemus, exigia sunt et incerta; quae vero scriptores Germanici hac de re memoriae tradiderunt, nimis sunt fabulosa, quam ut fides iis haberi possit. Quisque autem populus, remotissimi temporis facta, quibus natus est, oblitus, quum magnam potestatem et gloriam adeptus est, priores res gestas posteris pares fuisse putat, itaque originem suam fabulis implet atque escornat.

Saxones, quorum Tacitus mentionem non facit, primus commemorat Ptolemaeus in Germaniae descriptione, qui eos in meridiana parte chersonesi Cimbricae juxta Albis ostia, in maris Germanici litoribus insulisque, quae his adjacentes ab illis nominatae fuerant, habitasse confirmat.[1]) Si autem illi Saxones majores

---

[1]) cf. Ptolem lib. II. c. 11: „Εἶτα Καῦχοι οἱ μείζους, μέχρι τοῦ Ἄλβιος ποταμοῦ ἐφεξῆς δὲ ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς κιμβρικῆς χερσόνησου Σάξονες, αὐτὴν δὲ τὴν χερσόνησον ὑπὲρ μὲν τοὺς Σαξονας ἀπὸ τοῦ χαλούσου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Σουήβου ποταμοῦ Φαραδεινοί.“ — Φαραδεινοί a Tacito Suradones nominantur et usque ad flumen, quod hodie Trave vocatur, habitabant. cf. Tacit. Germ. c. 40: „Reudigni deinde et Aviones et Angli et Varini et Eudoses et Suardones et Nuithones.“ — cf. Grimm, Geschichte der deutschen Sprache. p. 470. — Ptolem ibid. Νῆσοι δὲ ὑπέρκεινται τῆς Γερμανίας, καί μὲν τὰς τοῦ Ἄλβιος ἐκβολάς, αἱ καλούμεναι Σαξόνων τρεῖς.“

eorum sunt, qui postea in hac regione sedes obtinebant, primum explorandum est, unde factum sit, ut ante Ptolemaei tempora nullus Graecorum et Romanorum rerum scriptorum Saxones memoret, praesertim ut Tacitus, qui paulo ante floruit atque Ptolomaeo multo accuratiorem Germaniae cognitionem habuit, nunquam eorum mentionem faciat. Quam rem alius alia ratione explicare conatus est, quarum rationum et singulorum virorum sententiarum nonnullas hoc loco examinem probabilissimas necesse est.

A plurimis scriptoribus recepta opinio, Saxones partem exercitus Alexandri Magni fuisse, quae post multos errores ad Hadolaun venisset, terramque adjacentem accupasset,[1]) aeque atque ea, quae Saxones a Graecis, qui Trojam expugnaverint, derivat, fictionis specimen apertissime prae se fert, quare non opus esse videtur, ut plenius refutetur.

Neque gravioris momenti relatio Rudolfi Fuldensis est, qui Saxones e Britannia venisse tradit; hujus enim verba veram historiam in contrarium plane convertunt.[2])

Jam ad Witichindi narrationem me converto, qui initio suae historiae, quam de hoc populo conscripsit, docet, de Saxonnm origine nihil certi affirmari posse;[3]) quam ob rem se quoque solas fabulas afferre posse.[4]) Quarum nonnullcs relatis,[5]) hoc

---

[1]) Witich. Corb. ap. Meibom. l. c. tom. I. p. 629: „ . . . aliis autem aestimantibus de Graecis, quia ipsi dicerent, Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus.“ —

[2]) Rudolf. Fuldens. Transl. St. Alexandri ap. Pertz M. G. II. p. 674; „Saxonum gens, sicut tradit antiquitas, ab Anglis, Britanniae incolis egressa per oceanum navigans Germaniae litoribus studio et necessitate quaerendarum sedium appulsa est.“ — Pertzius h. l. annot.: „More solito traditio res gestas invertit, ita ut Saxones non e Saxonia Britanniam, sed ex Britannia Saxoniam appulisse dicatur.“

[3]) Witich. l. c. ap. Meib. l. c. I. p. 629.

[4]) Ibid. „Et primum quidem de origine statuque gentis pauca expediam, solam pene famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante.

[5]) Witich. l. c.: „Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Nortmannisque originem duxisse Saxones.“

tamen pro certo habendum putat, Saxones oras ad Hadolaun sitas navibus appulisse.[1])

At vero, licet fabulosae sint variae hae narrationes, complures tamen prioris temporis rerum Germanicarum scriptores alii aliis de causis iis fidem tribuerunt.[2]) Recentiores contra partim eas a fide plane abhorrere acute et diligenter demonstrare studuerunt, partim in inquirenda Saxonum origine non mediocrem curam operamque consumserunt, ut sua sententia illi Ptolemaei relationi congrueret. — Quum autem iis persuasum sit, veteres scriptores ob incertas et fide carentes relationes nihil habere, quod sequi possint, in veritatis inveniendae studio singularibus et saepe diversissimis rationibus utuntur.

Ordiamur a Leonis Prof. sententia. Tacitum Saxonum gentis nullam notionem habere et paulo post ejus aetatem in chersoneso Cimbrica reperiri hoc modo declarat. Quum Trajanus imperator anno centesimo quinto post Chr. n. Getarum terras subjiceret, Sacos quoque sive Saïxas ibi habitantes succubuisse. Omnes autem harum gentium nobiles, qui Romanis nec armis resistere potuissent nec iis servire voluissent, patria relicta novas sedes condituros in terras boreales migrasse. Quo factum esse, ut Saci seu Saïxae ad Holsatiam usque pervenissent, ubi circa annum centessimum quinquagesimum jam stabiles et certas sedes habuissent; hoc autem tempore a Ptolemaeo Σάξονες vocitari.[3]) Hanc Leonis sententiam si sequeris, rejiciendum esset illud, quod plerisque, qui has res tractarunt, viris de illius aetatis populorum statu et conditionibus persuasum est. Omnino enim falsa esset nostra de his rebus sententia, quae optimis et certis testimoniis ipsius historiae probata est. Aliis quoque causis levitatem hujus Leonis opinionis Wietersheimius dilucide refutavit.[4])

---

[1]) Ibid.: „Pro certo autem novimus, Saxones his regionibus navibus advectos et loco primum applicuisse, qui usque hodie nuncupatur Hadolaun." — Varias hujus vocab. lectiones affert Meib. l. c. p. 667. s. v. Hadolaun: Hathelo, Haduloba, Hathuloga, Adulohohe.

[2]) Meib. l. c. 1. p. 351 sqq., 366.

[3]) cf. Leo. l. c. I. p. 103 sqq.

[4]) cf. Wietersheim. l. c. III. p. 369 sqq.

Pervenimus jam ad alteram sententiam, quam Zeuss[1]) defendit, qui Saxones ante Ptolemaei aetatem, quamquam nemo scriptorum hoc commemorat, in Germaniam advenisse facit. Maxime enim verisimile ei videtur, nomen tantum non populum novum esse; Gentem illam Ambronum, quae olim, quum Cimbri et Teutones Italiam peterent, magna ex parte his se adjunxit, majores illius populi fuisse, quem Ptolemaeus Saxones appellat. Grimmius comprobat quidem illam sententiam,[2]) sed non solum illud Festi, sed etiam, quod alii scriptores de Ambronibus referunt, satis confirmat, eos gentem quandam Celticam seu Gallicam fuisse.

Jam vero ad eam, quae restat, sententiam nos vertamus, secundum quam Saxones e septentrione chersonesi Cimbricae in Germaniam migrasse dicuntur. Patrocinium hujus sententiae suscepit Schaumannus.[3]) Hanc autem migrationem ab anno septuagesimo ad centesimum quinquagesimum usque factum esse, itaque Tacitum Saxones noscere non potuisse contendit. A tergis Anglorum et Varinorum, qui ab iis premerentur, paulatim in meridianam chersonesi partem transiisse dicit, seditionibus Jutiae septentrionalis gentium coactos. Ne quis autem putet, eos Danis affines fuisse, non e Scanzia vel Scania a veteribus geographis non certis finibus circumscripta eos venisse dicit, sed longum per tempus supra sinum Sleswicensem post Anglos habitantes facit. Attamen quispiam recte quaerat, unde, si a remotissimis inde temporibus ibi sedes non habuerint, in has terras Saxones venerint. Ut autem continuo ibi habitaverint, ob multas et diversas populorum chersonesi Cimbricae migrationes fieri non potuit. Qua de causa eos inter Scandinavias gentes vel Danos per aliquod tempus sedes tenuisse putes opus est. Quo fit, ut illa Schaumanni opinio parum probabilis sit. — Illam autem scriptorum relationem,

---

[1]) cf. Zeuss. Die Deutschen und deren Nachbarstämme. p. 150 sqq.

[2]) cf. Grimm. Geschichte der deutschen Sprache p. 638. Affert nonnulla veterum scriptorum testimonia et illud Festi: „Ambrones fuerunt gens quaedam Gallica.“ — cf. Eutrop. V. c. 1: „Romani consules M. Manilius et Q. Caepio a Cimbris et Teutonibus et Tigurinis et Ambronibus, quae erant Germanorum et Gallorum gentes, victi sunt juxta flumen Rhodanum.“ Enummerationis harum gentium ordine auctor indicat, Ambrones Gallos esse. — cf. Plut. Marius c. 19.

[3]) cf. Schaumannus. Geschichte des niedersächsischen Volkes. p. 4 sqq.

qua Saxones a Danis et Normannis originem habere dicuntur,[1]) paucis hoc locis refutare liceat.

Multis quidem rebus, mythis, lingua, moribus haud dubium est, quin Saxones Danis et Normannis quodammodo similes fuerint. Uterque Runis, literis arcanis primo, postea vulgaribus, utitur;[2]) vastant Saxones, ut postero tempore Normanni, utrique praedae tantum et rapinae intenti, Galliae et Britanniae litora. Itaque, si Saxones, qui postea inferioris Germaniae terras incolunt, posteri essent eorum, qui a Danis et Normannis originem ducere dicuntur, permulta, quae ad illorum naturam propriam pertinent, et a moribus ceterisque vitae conditionibus eorum, inter quos vivebant, Germanorum, longe discrepantia, haut dubie servavissent. Recte autem conjicitur, Saxones Clodovei et praecique Caroli Magni aetate, qua accuratius de iis refertur, neque lingua et moribus, neque legibus et institutis a ceteris Germaniae populis diversos fuisse. Licet Saxones numero victis minores, linguam, leges et instituta ab iis acceperint et cum iis in unum populum coaluerint, ut Franci et Galli, et Gothi et Hispaniae incolae, tamen quodque prioris et naturae et vitae conditionum indicium evanuisse nemo est, qui credat. Quae res tam gravis momenti esse mihi videtur, ut Saxones a Danis et Normannis originem non ducere hac sola causa quisque pro certo habeat necesse sit. Sequitur igitur, ut Saxonibus cum ceteris inferioris Germaniae incolis origo sit communis. — Germanos autem, et qui continentem et qui insulas sive Scandinaviam incolebant, antiquis jam temporibus inter se valde discrepuisse, Taciti de eorum nonnullis vitae rationibus relationes satis testantur.[3]) Si vero nullus dubitandi locus est, quin

---

[1]) cf. Witich. l. c. I. p. 629.

[2]) cf. W. C. Grimm. Ueber deutsche Runen, Götting 1821. p. 124, 160, 162 sqq.

[3]) cf. Tacit. Germ. c. 44: „Suionum hinc civitates, ipso in Oceano, praeter viros armaque classibus valent. Forma navium eo differt, quod utrimque prora paratam semper adpulsui frontem agit. Nec velis ministrant, nec remos in ordinem lateribus adjungunt. Solutum, ut in quibusdam fluminum, et mutabile, ut ut res poscit, hinc vel illinc remigium. Est apud illos et opibus honos: eoque unus imperitat, nullis jam exceptionibus, non precario jure parendi. Nec arma, ut apud ceteros Germanos, in promiscuo, sed clausa sub custode et quidem servo . . . Enimvero neque nobilem, neque ingenuum, ne libertinum quidem, armis praeponere regia utilitas est.“ — Suionum civitates sunt Scandinaviae gentes, Norvegiam et Sueciam, quas terras insulas esse Tacitus putat, incolentes.

ex Asia in Europam migratione Germanorum sedes eorum generatim et universe circumscriptae sint, Scandinaviae autem Germanos e remotissimis inde temporibus ibi habitaverint, satis perspicuum esse videtur, Saxones cum ceteris inferiorum Germaniam incolentibus populis in eam olim immigrasse, et quidquid iis vitae et cultus rationibus cum Scandinaviae Germanis commune est, ex illis vetustissimis temporibus natum esse, quibus omnes Germanicae gentes, praecipue fortasse eae, quae postero tempore Scandinaviam et inferiorem Germaniam incolebant, in Asia unas easdemque terras incoluerint.

Attamen ad Saxonum originem uberius examinandam, aliorum virorum sententiis aelatis transeamus ad Ptolomaei relationem accuratius ponderandam. Viri supra memorati Saxones gentem singularem sive specialem esse putant, ut Ptolemaeus quoque; alii vero omnibus gentibus, quae ad utramque Albis inferioris ripam ad Visurgim usque agros colebant, hoc Saxonum nomen Ptolemaei quoque aetate tribuendum esse censent. Horum tamen sententiae eo inter se differunt, quod alteri omnes, quas Tacitus Ingaevonum appellatione complectitur, nationes mutato nomine Saxones vocatos esse volunt;[1]) alteri eos sui juris et arbitrii civitatem, multo vero majorem, quam Ptolomaeus refert, habuisse afffrmant.[2])

Recte autem quaeritur, quo factum sit, ut apud Ptolemaeum Saxonum nomen ad unam tantum specialem gentem spectet, quum a viris rerum peritissimis terris late patentibus et compluribus nationibus tribuatur. — Ut Ptolemaei relationes, quae ad Germanorum populorum commentarium pertinent, recte censeas, in primis ejus eorum ignorantia, nulla fere ejus ratio critica, qua fontibus, e quibus hausit, utitur, et quae inde profisiscitur relationum fides suspecta etiam atque etiam considerandae sunt.[3])

---

[1]) cf. Soekeland: Ueber die Verhältnisse und Wohnsitze der Völker zwischen Rhein und Weser etc. p. 70. — Cheruscos autem Francorum populum esse judicat in libello, qui inscribitur: „De antiquis Guestfaliae cultoribus." — cf. Waitz l. c. III. q. 110.

[2]) cf. Wietersh. l. c. III. p. 372. — Grimm. l. c. p. 309 Saxones ex vetusto inde tempore intra Albim et Visurgim patentes agros coluisse dicit et istam famam, quae ex septentrione eos migrasse tradit, non gravioris momenti habet, quam eam de Gothis e Scanzia ad Vistulam profisiscentibus narrantem. — p. 612 Cheruscos Saxonem populis adnumerat.

[3]) cf. Wiet. l. c. II. p. 78.

Ignorantia ejus partim Alexandria a Germania longe distante partim fontibus fide probatis deficientibus nascitur. Ratio ejus critica quam parvi aestimanda sit, eo satis, ut alia omittam, intelligi potest, quod mira et horibili versione Taciti verborum „ad sua tutanda“[1]) urbem quamdam Frisiorum Σιατουτάνδα vocat. Series autem, quam habet, Germanorum populorum prope infinita declarari posse videtur,[2]) si minores gentium conjunctiones apud Germanos plus, quam majores, valuisse perpenditur. Contra autem id quoque dubium non est, quin nonnulla multorum nominum, quibus omnibus, quae vocant, gentilibus utitur, a Ptolomaeo pro minoribus usurpata majores civitatum conjunctiones significent.

Quum vero Tacito auctore praeter Ingaevonum, Iscaevonum et Hermionum aliae gentis appellationes essent,[3]) quae origine et significatione illis omnino aequales et pares ducendae sunt, talem gentis appellationem Saxonum quoque principale nomen esse verisimile est.

Hoc igitur nomine complures gentes in chersoneso Cimbrica et inferiore Germania Cheruscos, Angrivarios, alios, quibus hoc nomen postea commune est, antiquis jam temporibus appellatas esse a vero non abhorrere videtur. Quo autem factum sit, ut Saxonum nomen tam sero audiatur, paulo infra ostendetur.

§. 2.

De Saxonum nomine.

Grave aliud, quo nostra opinio, modo proposita, probatur, argumentum ipsius nominis significatio est. Priusquam autem ad eam explicandam nos vertimus, sententiae contrariae paucis refutentur.

---

1) cf. Tacit. ann. lib. IV. c. 73.

2) Tacitus in „Germania“ partem fere dimidiam affert, quamquam nonnullas civitates alibi nominatas non commemorat, ut Sigambros ann. I. c. 36, XII. c. 39; Teutones hist. IV. c. 73. Burgundiones tamen in ejus scriptis nusquam memorati inveniuntur.

3) cf. Tacit. Germ. c. 2: „Quidam autem, licentia vetustatis, plures Deo ortos pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios adfirmant: eaque vera et antiqua nomina.“

Nomen Saxonum a scriptoribus medii et recentioris aevi varie derivatur. Moeserus [1]) et alii multi Saxones inde nominatos esse putant, quod perpetuo in agris sederint. Sed hanc nominis significationem a prima Saxonum historia prorsus dissentire apertum est. Nam ubi primum eorum mentio fit, terras ac maria pervagantur praedae et rapinae intenti, orae maritimae incolas magno terrore afficiunt et agriculturae et paci deditos, ita ut sedes suas non moverint, nullo omnino modo se praebent.

Sunt etiam, qui nomen et populum Saxonum a Sacis, Scythica gente repetierint; [2]) quos vero sola nominis similitudo fefellit. Sacos, Asiae gentem et Saxones nihil neque moribus neque legibus inter se commune habuisse Plinii de Sacis relatione evidentissime confirmatur. [3])

Quae vero majorem veri speciem habere videtur opinio, cui quavis aetate plurimi viri eruditissimi fidem tribuerunt, est illa, quae nomen Saxonum a brevi quodam gladio derivat. Quem gladium eorum lingua sahs appellatum esse, non solum veteres, sed etiam resentiores rerum scriptores affirmant. [4]) Nituntur autem Witichindi narratione, qua dicit, Saxones fraude terrae quoddam

---

[1]) Osnabrückische Geschichte. Band I. Abschnitt III. §. 5: „Die Landeigenthümer, welche in Niederdeutschland auf ihren Höfen sitzen blieben, vor wie nach von ihrer Wortstätte dienten und sich unter kein Reich, Amt oder Herrschaft begaben, waren unstreitig Sassen, ob sie gleich diesen Namen noch nicht führten."

[2]) cf. Meibom. l. c. p. 352: „Vera autem et indubitata Saxonum origo est a Sacis gente Scythica in Asia, a quibus Sassones Ptolemaei, qui in Scythia vel Asia boreali, supra montes Alanos citra tamen Imaum montem habitarunt. Hi ex Asia in occidentem, et deinde in provincias, quae nunc Germaniae sunt, immigrarunt; etsi quo definito tempore quibusque ducibus et occasionibus id factum sit, nullus tradat."

[3]) cf. Plinii. Hist. Natur. lib. VI. c. 17.

[4]) Nennius. Hist. Britann. c. 48: „. . . Quando clamavero ad vos et dixero (Hengistus): Eu, Saxones nemed eure Saxes, i. e. cultellos vestros de sicconibus vestris deducite." — Greg. Turon. Hist. Franc. lib. IV. c. 41. „Tunc duo pueri cum cultris validis, quos vulgo scram — saxos vocant, infectis veneno maleficati a Fredegunde regina." — Gobelin. cosmodr. aetat. V. c. 1 ap. Meibom. l. c. I p. 15: „Apud nos senioribus novacula, qua pili raduntur, dicitur saze et inde verbum vulgare videlicet sassen i. e. novacula caesariem radere." — Grimm. l. c. p. 610 affert carmen Annonis:

„Cin Duringin duo der siddi was Daz si mihhili mezzir hiezin sahs, Der di

spatium prope Albis ripas occupasse ibique oppidum condidisse, mox autem Thuringis eas regiones incolentibus infestos redditos esse. Ut inter eos pax componeretur, utrosque populos Thuringos vero inermes, convenisse. Perfide Saxones gladiis sub vestibus absconditis Thuringos trucidasse. Quo factum esse, ut nonnulli ob hoc facinus iis nomen Saxonum tribuissent. „Cultelli enim nostra lingua sahs dicuntur, ideoque Saxones nuncupatos, quia cultellis tantam multitudinem fudissent.“ [1]) Eandem sententiam Schaumannus proferre videtur, [2]) quam si consideras, quo modo Saxones e septentrione peninsulae ad meridiem migrasse conjiciat, probabilem putare possis.

Effugit autem neminem, talem Saxonum nominis derivationem simplicem quidem esse, sed non minus levem. Eodem enim modo, quod persaepe factum est, Francorum, Cheruscorum, Longobardorum nomina ab armis eorum deduci possunt. Licet isti populi armorum, praecipue gladiorum, forma et usu ab aliis populis diversi fuerint, ab his gladios illorum, quum eorum cognitionem percepissent, a populo, qui iis uti solebat, nominatos esse, quis negare possit. [3])

Mittamus autem tales nominis derivationes et ad Taciti relationem redeamus, [4]) secundum quam pro certo fere habendum est, nomen Saxonum ad deum vel heroem quendam referendum esse.

In abjurandi forma quadam, qua Saxones, quum in christianam fidem recipi vellent, utebantur, heros seu dux gentis similis fere nominis vocatur. [5]) Ibi nomen ei inditum est saxnôte et in

---

rekkin manigiz druogin, Damidi si die Duringe sluogin Mit untrûwin ceinir sprâchin, Die si vridin si gelobit havitin: Von den mezzerin âlso wahsin Wurdin si geheizin Sahsin.“ —

Ibid. Godefr. Viterb. ap. Pistor. 253b. hi versus: „Ipse brevis gladius apud illos saxo vocatur, Unde sibi Saxo nomen peperisse notatur.“ — Schaten. Hist. Guestf. I. p. 177: „Usus hujus vocis hodiedum in Saterlandia obtinet apud incolas prisci sermonis retinentissimos, apud quos coram audivi loquentes s a h s cultrum sonat.“ —

[1]) cf. Witich. ap. Meibom. l. c. I. p. 630.

[2]) Schaum. l. c. p. 9.

[3]) Wietersh. l. c. p. 208 sqq.

[4]) Germ. c. 2.

[5]) cf. Massmann. Die deutschen Abschwörungs- etc. Formeln, p. 67. Integer locus est: „end eci forsacho allum diaboles uuercum and uuordum, thunaer ende uuôden ende saxnôte, ende allêm thêm unholdum, thê hirâ genôtas sint.“

eodem gradu, in quo thunaer et uuôden collocatur. Si Grimmii explicationi assentiamur, vocabulum saxnôte significat „einen Schwertträger, einen Gott des leuchtenden Schwertes, einen Kriegsgott.“[1]) Qua de causa autem negetur, cultum hujus herois seu dei saxnôte non tam communem fuisse apud Saxonum gentes, quam illum patris ejus uuôden vel Odin apud Germanicos fere omnes populos, non intellego.

His igitur rebus allatis et praecipue Grimmii investigatione omnino apertum esse mihi videtur, populos, qui meridianam chersonesi Cimbricae partem et terras intra Albim et Visurgim sitas incolebant, jam antiquitus hoc nomine Saxonum insignitos fuisse. Recte autem quaerat quispiam, quo factum sit, ut saeculo demum sexto post Chr. n. in inferiore Germania Saxones appareant, quum compluribus saeculis ante eorum tamen Saxonum, quos Nordalbingos vocant, scriptores mentionem faciant. Quae res, quod ad primam, de qua refertur, Saxonum historiam pertinet, tam gravis momenti esse mihi videtur, ut uberior hujus rei examinatio requiratur.

Omnes fere populi paternae gloriae et laudis celebrandae studiosi praecipue originis tenebras illustrare et primas suae gentis res gestas perexiguas fabulis valde adaugere et exornare cupiunt. Quo fit, ut Saxonum quoque, majorum nostrorum, historia, de qua agitur, remotissima multis fabulis maxime poeticis referta sit, quae licet rebus gestis alias probatis saepissime dissentiant,[2]) tamen eorum, quae ad vetustissimum statum et conditiones Saxonum et vicinorum populorum pertinent, multa et haud dubia indicia praebent. — Videamus, quantum veri fabulis insit. Memoriam ex aliis regionibus in patriam adventus, antiquissimo tempore facti, sicut multi Germanici populi ita Saxones quoque fabulis recentem retinuerunt. Rudolfus Fuldensis in initio

---

[1]) l. c. p. 611: „altn. Saxnaus, ahd. Sahsnôz, goth. Sahsanauts. Seine Kriegsgenossen, alle Männer des Volks, dem er heilig ist, heissen nach ihm Sahson, Sachsen.“ Similiter p. 612 Cheruscorum nomen refert ad vocabulum cheru, heru, quod omnino significat gladium, et Hairus populi heros seu dux esse ei videtur.

[2]) cf. Witich. ap. Meib. l. c. p. 633. Hermanfridum et Theodoricum per Iringum interfectos esse fabulose refert. Greg. Tur. hist. Franc. lib. III. c. 8 contra narrat, Hermanfridum Tolbiaci de moeniis cadentem periisse.

„Translationis St. Alexandri“ et Witichindus ineunte historia Saxones Hadolaun navibus venisse referunt. Attamen, si omittimus, alterum tradere e Britannia, alterum per mare septentrionali in Germaniam eos venisse, inter se omnino non consentiunt. Theodorici enim, Francorum regis res, quas cum Thuringis gessit, a Rudolfo ita narrantur, ut cum Saxonum appulsione arctissime cohaerere videantur. Nam quum ille de Saxonum adventu audiisset, ab illis contra Thuringos auxilium petit et terras, quas colere possint, se eis daturum esse pollicetur. Hadugoto duce Thuringos vincunt eorumque terras occupant. Alter vero rerum scriptor adventum Saxonum multo prius, quam Francorum cum Thuringis pugnas evenisse tradit. Secundum hunc jam brevi tempore post appulsionem Thuringis infestissimi facti sunt. Postea quum Francorum rex Thuringos proelio trium dierum fugasset, ad persequendos autem hostes vires deficerent, Saxonibus promisit, si auxilio lato Hermanfridum vicissent, se ejus terram ipsis traditurum esse. Victoria ab hostibus reportata terra potiti sunt et Francorum socii et amici vocabantur. His relationibus nisus Schaumannus singula persequens copiose exposuit, quomodo terrarum occupationes paulatim processerint et populi res politicae his diversis terris subactis conformatae sint.[1]) Primum in iis terris, quas Saxones incoluisse Ptolemaeus refert, rebus maritimis deditos ab agriculturae studiosis Saxonibus internoscit. Deinde tribus expeditionibus terras, quas postea colebant, eos occupavisse ostendit. Dum illi navibus novas sedes sibi parare student, hi Albim trajiciunt et prima expeditione Chaucos, quorum magna pars Rhenum versus migrat, sibi subjiciunt. Frisiorum tamen fines hostis non ingreditur. His terris occupatis postero tempore nomen Guestfaliae in meridiana parte finibus Boructerorum, qui exeunte saeculo septimo a Saxonibus vincuntur, definitae inditum esse docet. Altera expeditione Saxones in ea regione, quae ducatus Lauenburgensis postea nominatur, Albim transvecti, Anglos, Varinos, Longobardos, Cheruscos bello premunt. Angli et Varini partim in Thuringorum fidem se conferunt, partim cum Cheruscis ad occidentem migrant. Incolae illarum terrarum subactarum postea Engeri vocantur. Rebus contra Hermanfridum gestis

[1]) cf. Schaum. l. c. p. 11 sqq.

Thuringorum terrarum partem posteriore tempore Ostfaliam nominatam occupant. Non autem omnes Saxones, sed Engerorum solae civitates hanc tertiam fecerunt expeditionem.

Tota tamen haec Schaumanni expositio omni fide historica caret.[1]) De Cheruscorum migratione nihil relatum legimus.[2]) Nunquam infestos finitimos Saxones et Longobardos fuisse eo satis apparet, quod cum Longobardis postero tempore Italiam petituris Saxonum magna pars se conjunxit. Quod vero nullo modo fieri potuisset, si utrique populi graves inter se inimicitias habuissent, quas ex illo Saxonum hostili incursu haud dubie oriri necesse erat. Accedit, quod Saxones veteres Longobardorum amici nominantur.[3])

Schaumanni secundum sententiam Saxones terras tam patentes occupare atque insidere poterant, quod, ut contendit, homines semiliberi, lazzi, ubique remanebant et solus dominus eorum commutabatur.[4]) Liberos autem viros ad libertatem servandam emigrasse, et Saxones per totam terram dispersos victorum incolarum linguam, mores et instituta temporis decursu recepisse censet.[5]) — Leo contra opinatus est, terra occupata liberos viros semiliberos seu lazzos factos esse,[6]) nisus relatione Rudolfi Fuldensis.[7])

---

[1]) cf. Waitz. l. c. I. p. 241 de Schaumanni rerum explicatione hoc habet judicium: „Nur zu oft gibt der Verfasser nicht Resultate gewissenhafter Quellenforschung, sondern vorgefasste Ansichten und selbsterdachte Combinationen."

[2]) Schaum. l. c. p. 21 Venant. Fortun. locum affert, quo Felix Nantensis episcopus Saxones Bajocassinos in fidem christianam recepisse dicitur. Jidem Saxones Bajocassinos ap. Greg. Turon. l. c. V, c. 27 nominantur. — cf. Zeuss l. c. p. 384. — Hos Saxones Bajocassini, quos vocant, Nordalbingios fuisse, nemo est, qui ignoret. Si Cheruscos scriptores eos appellant, utrosque populos Saxones et Cheruscos priore jam tempore affines se habere, tali modo aperte confirmant. Ut in illa gentium migratione nonnulla Cheruscorum manus usque ad Galliae litora processerit, tamen universum populum paternas sedes reliquisse non putes. —

[3]) Paul. Diac. II, 6.

[4]) Schaum. l.c. p. 53 utitur vocabulo „Unfreie." At non servos, sed lazzos esse intelligas necesse est.

[5]) Ibid. p. 55 sqq.

[6]) cf. Leo, l. c. I, p. 232.

[7]) l. c. ap. Pertz II. p. 675: „Qui eam sorte dividentes, quum multi ex eis in bello cecidissent, et pro raritate eorum tota ab eis occupari non potuit, partem illius et eam quam maxime, quae respicit orientem, colonis tradebant,

Attamen hujus scriptoris relatio ad orientales solas Thuringiae partes a Saxonibus occupatas pertinet. Witichindi quoque relationi, qua victoris et victi conditiones exponit, nulla fides habenda est. Refert enim l. c. p. 634: „Saxones igitur possessa terra summa pace quieverunt, societate Francorum et amicitia usi. Parte quoque agrorum cum amicis auxiliariis vel manumissis distributa, reliquias pulsae gentis tributis condempnaverunt; unde usque hodie gens Saxonum triformi genere ac lege praeter conditionem servilem dividitur.“ Witichindum h. l. tres populi partes, nobiles, liberos vel ingenuos et lazzos significasse putes necesse est. Ipsi Saxones haud dubie nobiles; amici auxiliarii autem et manumissi sunt liberi sive ingenui, ceteri victorum incolarum, qui remanserant, lazzi fuisse scriptori videntur. Quinam vero sunt auxiliarii? Francos illos auxiliarios fuisse nequaquam verisimile est, quia narratio ejus talem Erancorum conditionem omnino non indicat. Aliorum autem mentionem non facit. Nobilitas denique aliis causis vetusto tempore orta est et nisa est aliis rebus, ac sola auctoritate bellica. Schaumanni oppinio huic Witichindi relationi

---

singuli pro sorte sua sub tributo exercendam. Cetera vero loca ipsi possiderunt.“ — De Thuringorum terrarum occupatione cf.ann. Quedlinburg. ap. Pertz. M. G. V, p. 32: „Tunc Theodoricus accepto consilio, victoribus tradit Saxonibus omnem terram Thuringorum, excepta, quam Louvia et Haertz silvae concludunt, absque tributo perpetuo possidendam. Thuringos vero, qui caedi superfuerant, cum porcis tributum regis stipendiis solvere jussit.“ — Quae vero terrae Saxonibus contigerint, inter viros doctos non constat. Wersebe in libello „Beschreibung der Gaue zwischen Elbe etc. p. 34 sqq. contendit, regiones Unstrutam inter et Saalam usque ad flumen Badam jacentes a Saxonibus occupatas esse, eam autem partem, quae monte Haertz et flumine Unstruta definitur, antea jam eos obtinuisse. — Giesebrecht, Geschichte der deutschen Kaiserzeit. I, p. 75 vult Saxones agros inter Albim, Saalam, Unstrutam et flumen Helmanam patentes bello illo contra Thuringos gesto acquissivisse. — Has fluminum significationes aeque alias, uti Aram (Ohre), Mildam (Mulde) habes apud Titmar. Merseburg. lib. II, c. 14. — lib. III, c. 9. — Saxones, qui illas regiones incolebant, quodammodo sub Francorum ditioni fuisse videntur; alioquin enim postero tempore rex Sigibertus has Thuringiae partes a Saxonibus relictas Suevis tribuere non potuisset. cf. Eichhorn. Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte, I p. 142, 153. Postea in has suas sedes reversi Saxones Francis perpetuo fere solvunt tributum.

plane repugnat, quum nobilitatem apud Saxones fuisse neget, ingenuos autem ipsos victores fuisse contendat.[1])

Uterque igitur locus Rudolfi Fuldensis et Witichindi obscurus est.[2]) Id tantum illi scriptores agunt, ut his locis res jam diu vigentes historica ratione explicent. Illae relationes ex fabulis et veteribus, quibus utebatur vulgus, carminibus fortasse repetitae sunt.[3])

His omnibus satis apparet, quid de illis narrationibus censeas necesse sit.[4]) Accedit, quod Gregor. Turon., qui iisdem fere temporibus, quibus illas res gestas esse tradunt, vixit, ne una quidem litera hujus belli cum Thuringis gesti mentionem faciat. Si tanti momenti fuisset, quanti fuisse dicunt, Gregorium aliquam cognitionem illius belli habuisse nullus est, qui neget. Itaque omnia fere, quae Schaumannus his narrationibus conjicit, parum firma esse dilucidum est. — Si verum esset, Saxones ex illis terris Transalbingis in Germaniae inferiores partes immigrasse, moribus et institutis a victis populis valde diversos fuisse credas necesse est. Licet ipsi linguam, mores, alias res a victis receperint,[5]) quodque tamen Saxonum vitae proprium temporis intercessu evanuisse nequaquam verisimile est.

Ex omnibus igitur quae de Saxonum origine et nomine supra exposui, apertum est, Saxonum nomen idem valere, atque illud Cheruscorum, omnibus Saxonum populis quendam cultum dei vel herois Saxnôt communcm fuisse ex quo praeeipue affinitas recte concludi potest.[6]) Quibus porro sequitur, nomen Saxonum per-

---

[1]) cf. Schaum. l. c. p. 78. sqq.

[2]) cf. Schaum. l. c. p. 92. not. 38. Contrarium persuasum ei esse videtur, quod Waitzio l. c. I, p. 182 n. 2, fidem quum tribuat uterque relationi juris Saxonici, III, 44: „Do irer so vele nicht newas, dat sie den acker buwen mochten, do sie die dorinschen herren slugen und verdrewen, do lieten sie die bure sitten ungeslagen und bestadeden in den acker to also gedaneme rechte, als in noch die late hebbet; daraf quamen die late.“ — Quod tamen jus omnino illo, quod Rudolf. Fuldens. refert, niti, nemo est, quem fugiat.

[3]) cf. Junghans. Geschichte der fränkischen Könige Childerich und Chlodowech, p. 6 sqq.

[4]) cf. Grimm. l. c. p. 644.

[5]) cf. Schaum. l. c. p. 55. — Leo. l. c. I. p. 233.

[6]) De Angrivariis, Engerorum majoribus cf. Zeuss l. c. p. 391.

multo vetustius esse, quam, si fontibus fidem haberes, existimares. Situ autem terrae illorum Saxonum, qui trans Albim habitabant, satis perspicuum est, quo factum sit, ut nomen inde primum in earum externarum nationum notitiam pervenerit, quibuscum illius terrae incolas rebus maritimis deditos mutuam rationem habere opus erat. Tum demum, quum saeculo sexto post Chr. n. Franci regni fines latius orientem versus proferrent et cum Saxonum populis, qui inferiorem Germaniam incolebant, confligerent, hi quoque Saxones e tenebris in lucem evocati ceteris cogniti facti sunt nationibus, quae, quum eos Saxonibus Transalbingis affines esse intellexissent, idem nomen iis impossuere.

PARS ALTERA.

De rebus a Saxonibus gestis.

§. 1.

De Saxonum excursionibus antiquissimo tempore factis.

Situs et natura terrarum, quas Saxones Transalbingi incolebant, eos rebus maritimis operam dare adigebat. Ad occidentem enim versus mare patebat, quod latum et apertum multas opulentas et fertiles terras alluit. Litus ipsum complures sinus et propinquas insulas habet.[1] Meridianas partes attingit Albis, cujus ipsum ostium magnum sinum efficit.[2] Non autem pacis et commercii studiosi cum transmarinis populis negotia agebant, sed inquieti et soli rapinae intenti, veluti postea Normanni, remotas oras et terras navibus petebant et diripiebant, hostes infestissimi ipsis incolis magnum terrorem et metum injiciebant. Graeci et Romani scriptores mores et excursiones hujus populi describunt, qui inde a fine saeculi tertii post Christ. n. oculos et animos Romanorum in se convertebat et ipsis non parvi momenti fieri incipiebat. Magna erat corporum vis et virtus, miranda peritia et usus rerum maritimarum, impetus eorum inopinatus et prae-

---

[1]) Ptolem. II. 2 tres Saxonum insulas affert. — Zeuss l. c. p. 150 opinatus est, Nordstrand, Föhr et Silt illas Saxonum insulas fuisse. — Schaum. l. c. p. 38 eas mari submersas esse putat. — Pauly, Realencyclopädie der klassischen Alterthumswissenschaft VI, p. 850 unam earum Helgoland fuisse, ceteras aut fluctibus devoratas, aut Dycksand et Vielschovel esse censet. — Certi vero nihil confirmari potest.

[2]) In eorum terra unum tantum oppidum Treva (Τρηούα) veteribus scriptoribus notum est. cf. Plin. Hist. Nat. II, 11, 27.

ceps.[1]) Sidonius Apollinaris mores et excursiones eorum ita describit, ut eas oculis intueri videaris:[2]) „Nuncius asseveravit, vos... litoribus Oceani curvis merrare contra Saxonum pandos myoparones, quorum quot remiges videris, totidem te cernere putes archipiratas, ita simul omnes imperant, parent, docent, discunt latrocinari . . . Hostis est omni hoste truculentior. Improvisus aggreditur, provisus elabitur, spernit objectos, sternit incautos; si sequatur intercipit, si fugiat, evadit. Ad hoc, exercent illos naufragia, non terrent. Est eis quaedam cum discriminibus pelagi non notitia solum, sed familiaritas. Nam, quoniam ipsa, si qua tempestas est, hinc securos efficit occupandos, hinc prospici vetat occupaturos, in medio fluctuum scopulorumque confragosorum spe superventus laeti periclitantur."

Primae eorum, de quibus memoratur, expeditiones, rapinarum causa susceptae ab Eutropio narrantur. Refert enim, Diocletiano imperante (284—305) Saxones una cum Francis incursionem in Galliam fecisse et tantam incolarum miseriam fuisse, ut imperator ineunte anno 286 necessitate coactus Carausio, forti et rerum navalium perito viro, summam imperii detulerit, ut regnum et ejus incolas contra istos feroces piratas defenderet. Initio quidem Carausium hostes nonnullis incommodis affecisse verisimile est, postea tamen Saxones, quominus praedas agerent impedire noluit. Redeuntibus autem praedam eripuit et commodo suo ea usus est.[3]) Septuaginta inde annis praeteritis, quum Constante, cujus virtutem

---

[1]) Julian. Orat. I. in Opp. ed. Spanhem. p. 34: „Φράγγοι καὶ Σάξονες τῶν ὑπὲρ τὸν Ῥῆνον καὶ τὴν Ἑσπερίαν θάλατταν ἐθνῶν τὰ μαχιμώτατα." Id. Or. II. l. c. p. 56. — Zosim. Hist. III, 6: „Σάξονες οἱ πάντων δὴ καρτερώτατοι τῶν ἐκεῖσε νεμομένων βαρβάρων θυμῷ καὶ ῥώμῃ καὶ καρτερίᾳ τῇ περὶ τὰς μάχας εἶναι νομίζοντες." — Am. Marcell. lib. XXVIII, c. 2: „Nec quisquam adventus eorum cavere poterat inopinum, non destinata, sed varia petentium et longinqua, et, quoquo ventus duxerat, irrumpentium: quam ob causam prae ceteris timentur ut repentini."

[2]) Lib. VIII. ep. 6 in Erhard. regist. hist. Guestfal. p. 48.

[3]) Eutrop. Breviar. Roman. hist. IX, c. 13: „Per haec tempora etiam Carausius, qui vilissime natus in strenuae militiae ordine famam egregiam fuerat consecutus, cum apud Bononiam, per tractum Belgicae et Armoricae paccandum mare accepisset, quod Franci et Saxones infestabant, multis barbaris saepe captis, nec praeda integra aut provincialibus reddita aut imperatoribus missa." Quodquum imperator comperisset ad eum interficiendum Maximianum misit, sed

omnes Germaniae populi extimescebant,[1]) mortuo Magnentius fines praesidiis nudasset, Saxones cum Francis et Alemannis sociati in Galliam irruperunt et quadraginta urbibus et castellis vastatis magna praeda onusti reversi sunt, 355—356;[2]) Colonia Agrippinensis ipsa capta et direpta est. Julianus autem annis 356—358 multis acribusque proeliis Alemannos et Francos quidem domuit,[3]) Saxones vero solita belli administratione vincere non potuit. Non enim in campo aperto hostium copiis se objiciebant, sed noctu e Batavorum insula in Romanorum fines subito invadebant, rapinas faciebant et in vicinas silvas celerrime se recipiebant. Quo factum est, ut Julianus nova bellandi ratione inventa eos dolo opprimere studeret.[4]) Charietto, magnae praedonum turbae dux peritus, qui urbes ad Rhenum sitas contra Germanorum impetus persaepe jam defenderat, quum se ipsum non satis tutum esse intellexisset, in debellandis Saxonibus Juliano operam et studium suum contulit. Hic rebus angustis coactus in stipendia eum recepit, ut a latronibus latrones repellerentur. Saxones a Chariettone in angustias adducti denique in ditionem ejus venerunt et obsides dederunt. Haec quidem relatio non ad ipsos Saxones, sed ad eorum socios vel fratres *Κουάδους* referenda est, qui cum illis Saxonibus Transalbingis affinitate conjuncti a Zosimo Saxonum populi pars vocantur.[5]) Chauci autem hoc loco intellegendi sunt,[6]) qui litora incolentes cum Saxonibus consociati mare latrociniis infestasse

---

Carausius a militibus imperator creatus tota classi in Britanniam abiit et ea potitus est (anno exeunte 286) cf. Eutrop. l. c.: „At Maximiano jussus occidi purpuram sumsit et Britannias occupavit.“

[1]) cf. Amm. Marcellin. l. c. XXX, c. 7: „ . . . quem (Julianum) post Constantem solum omnium formidabant.

[2]) cf. Zosim. III, c. 1: „Φράγγους μὲν καὶ Ἀλάμαννους καὶ Σάξονες ἤδη τεσσαράκοντα πόλεις ἐπικειμένας τῷ Ῥήνῳ καταλειφότας, καὶ αὐτὰς μὲν ἀναστάτους πεποιηκάτας, τοὺς δὲ τούτων οἰκητόρας ἄπειρον ὄντας πλῆθος λῃσαμένους μετὰ πλούτου λαφύρων ἀναριθμήτου.“

[3]) cf. Amm. Marcellin. lib. XVI, c. 3, 12; XVII, c. 1, 2, 8.

[4]) cf. Zosim. lib. III, c. 7, quo res accurate describitur.

[5]) cf. Zosim. lib. III, c. 6: „Σάξονες Κουάδους μοιραν σφῶν ὄντας εἰς τὴν ἀπὸ Ῥωμαίων κατεχομένην ἐκπέμπουσι γῆν.“

[6]) cf. Zeuss. l. c. p. 282. — Ledebur, Land und Volk der Brukterer, p. 67, 253. — Wietersh. l. c. p. 316 sqq. — Zosim. ed. Reitemaier. p. 290a. — Leo l. c. I. p. 227 re vera ipsos Quados hoc loco intellegendos esse censet,

videntur. Maxime etiam verisimile est, nonnullas eorum manus proxime Romanorum finibus per aliquod tempus consedisse, ut ex latebris Romanorum agros magis remotos facilius depraedari possent.

Neque minus Britanniam petebant praedones, latrocinia agitabant et omnibus belli miseriis incolas afficiebant. Refert enim Amm. Marcell. ad annum 364: „Picti Saxonesque et Scotti et Atacotti Britannos aerumnis vexavere continuis.“ [1]) Nihilominus hoc saeculo praecipue Galliam excursionibus petiisse videntur, quarum nonnullas scriptores memoriae tradiderunt. Anno 368 Valentiniano I. imperante Saxones, Franci, Burgundiones Gallicos fines transeunt et terras omni clade belli pervastant. [2]) Paucis annis post circa annum 370 Romani cum Saxonibus iterum fines ingressis paciscuntur ea conditione, ut incolumibus iis abire liceret. Nam Nannenus, Romani exercitus dux, postquam primum hostium impetum feliciter repulerat, postea multis gravibusque jacturis factis in summum periculum et discrimen vocatus est; tum autem, quum subsidium accepisset, Saxones a contentione destiterunt. Illi autem, quos quum redirent, Romani ex insidiis subito adorti sunt, utrimque ingenti caede facta victi et ad internecionem usque trucidati sunt. [3]) — Sequitur alia eademque ex-

---

quod vix credi potest. Nam quum horum piratarum patria in litoribus maris Germanici, quod hodie Nordsee vocatur, sita putanda sit, non intellego, quo modo Quadorum manus huc pervenerit, qui illo tempore ad utramque Mari ripam in provincia, quae hodie Mähren dicitur, sedes habebant. cf. Amm. Marcell. lib. XXX, c. 5.

[1]) Lib. XXVI, c. 4.

[2]) Amm. Marcell. lib. XXVII, c. 8; „Gallicanos vero tractus Franci et Saxones iisdem confines, quo quisque erumpere potuit terra vel mari, praedis acerbis incendiisque et captivorum funeribus hominum violabant. — Jornand. de reg. success. ap. Erhard l. c. p. 51 n. 71: „Valentinianus . . . contra Saxones et Burgundiones, qui plus octoginta millia.“

[3]) cf. Amm. Marcell., qui libro XXVIII, c. 5 re copiose descripta in extremis hoc annotat: „At licet justus quidem arbiter rerum factum incusabit perfidum et deforme: pensato tamen negotio non feret indigne, manum latronum exitialem tandem copia data captam.“ — Id. XXX, c. 7: „Jam conversos ad metuendam rabiem Saxones, semper quolibet inexplorato ruentes, delatosque tunc ad terrestres tractus, quorum spoliis paene redierant locupletes, malefido quidem sed utili commento peremit, praeda raptoribus vi fractis excussa.“

trema Valentiniani contra Saxones expeditio. Anno enim 373 Saxonum manus e litoribus maris, ubi per aliquod tempus sedes obtinuisse videtur, Francorum terram ingressus est. Priusquam autem Romani imperii fines, quas petebant, invaderent, Valentinianus apud Deusionem eos oppressit.[1])

His continuis expeditionibus factum est, ut ubicunque praedones in loca in litoribus sita, sive sinus sive portus sive fluminum ostia, e quibus vicinas terras facile depraedari possent, navibus invecti erant, nonnullae eorum manus per aliquod tempus sedes sibi pararent et praesidiis eas munirent. A Romanis ob imperii infirmitatem diem ex die crescentem horum litorum incolae non defendebantur, quam ob rem Saxones et numero et virtute iis superiores impediri non poterant, quominus considerent. In Galliae et Britanniae pracipue oris inde a medio saeculo quarto post Chr. n. tales colonias, ut ita dicam, constituebant. Quas crebras et in utrisque litoribus constratas quasi fuisse, eo intellegi potest, quod litore tractus Armoricani, Belgicae secundae et Britanniae quinto jam saeculo post Chr. n. Saxonum nomine insignita et litus Saxonicum vocata esse legimus.[2]) —

[1]) cf. Oros. VII, c. 32: Valentinianus Saxones, gentem in Oceani litoribus et paludibus inviis sitam, virtute et agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit." — cf. Aurel. Cassiod. chron. II, 222: „Saxones caesi Deusione in regione Francorum." — Hos Saxones navibus Rhenum adversum navigasse et a Valentiniano exercitus conversione bene instructa coactos esse, ut e navibus escenderent et proelium committerent, verissimile est. Idem Radbodo postea, quum contra Carolum Martellum navigaret, contigit. cf. ann. 715. — Deuso non Deutz, sed Duisburg esse videtur in terra Francorum Ripuariorum. cf. Schaum. l. c. p. 19 n. 49. — Wietersh. l. c. III. p. 400, 401 hanc Saxonum expeditionem unam eandemque esse censet, cujus ad annum 370 mentio fit. Quod tamen verisimile non habebis, si expenderis, tales praedonum expeditiones quoque fere anno repetitas fuisse, quamvis non eadem gravitate fuerint.

[2]) cf. not. dignitat. imper. ap. du Chèsne l. c. I. p. 3. — Saxonum Bajocassinorum mentionem facit Greg. Turon. l. c. V c. 27; X c. 9. Illi regionem, quam hodie Bayeux vocant, habitabant. cf. Jacobs, Geographie de Gregoire de Tours ed. 2da p. 104, 148, 149: „En effet Lebeuf (Memoir. de l'Acad. des inscript. tom. XXI.) fait observer, que les Saxones de Bayeux habitaient, a l'ouest de cette ville, un territoire représenté par les villages de Saxonnet et Saon." His locis nono etiam saeculo Saxonum nomen auditur, et pagus quidam Otlinga Saxonum vocatur. cf. Pertz. l. c. III. p. 426. — Schaum. l. c. p. 29.

Ex his praecipue oris expeditiones et mari et terra factae sunt, quibus Galliae, Britanniae et vicinarum insularum incolae saepius atque vehementius, quam antea in discrimen et periculum vocabantur.[1]) Ipsae Orcadum insulae valde remotae piratarum excursionibus premebantur, et quae Ligeris ostio adjacent insulae per aliquod tempus in Saxonum potestate fuisse certum est.[2]) Ex Galliae praesertim oris expeditiones faciebant et interiora quoque hujus terrae loca magis magisque petebant et diripiebant et raro tantum ab incolis inprimis Romanis feliciter oppugnati videntur.[3]) Illis vero temporibus, quibus Attila innumerabilium fere peditum equitumque Hunnorum dux occidentalis Europae populis fere omnibus perniciem moliebatur, Galliae ferro ignique minitabatur, Saxones a Romanorum ceterorumque Galliae populorum partibus steterunt, quorum victoriae in campis Catalaunicis ab Hunnis reportatae participes fuerunt, 451.[4]) Erant autem ii Saxones, qui litus Saxonicum, quod vocabatur, incolebant, quum inferioris Germaniae multi populi, quorum Bructeri et Franci orientales nominatim appellantur, Hunnorum sociis adnumerentur.[5])

---

[1]) cf. Claudian. in Eutrop. I. v. 392: „Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys Mitior,“ . . . -- Id. de nupt. Hon. et Mar. v. 219; „Quidquid avus senior Mauro vel Saxone victis.“ — Id epithal. Pall. et. Celer. v. 89: „Quae saevis objecta Getis, quae Saxona frenat vel Scotum legio.“ — Id. de laud. Stilich. I. v. 254: „ . . . ne litore tuto Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.“ — Vita St. Marculphi ap. du Chèsne l. c. I. p. 535c: Aliquando (Childeberti I regnante) piratae ad tria millia ab inexhaustis gentis Saxonicae scaturiginibus prorumpentes conscensis navibus, cursum velocem remis et velis accelerarunt, quandam Britanniae adjacentem insulam, quae Agnus vocabatur, quam vir beatus (Marculphus) cum beato Romardo ingressus erat, depraedari et prorsus depopulari volentes.“

[2]) cf. Claudian. de IV. consulatu Honor. v. 31: „ . . . maduerunt Saxone fuso Orcades.“ — cf. Greg. Turon. l. c. II, 19; cui loco Ruinart in ed. Greg. Turon. p. 71 annotat: Hae insulae ad Ligerim positae erant, ut censet Cointius, quas arcibus munierant Saxones, ut si res ipsis minus contigerent liberam haberent per oceanum abeundi facultatem.“

[3]) Ex his pugnis, in quibus Romani superiores erant, illa cum Odovacrio pugna memoriae tradita est, de qua infra exponam.

[4]) cf. Jornand. de reb. Get. c. 36: „His (Romanis) adfuere auxiliares Franci . . . Saxones . . .“ — Paul. Diacon. de gest. Roman. lib. 15: „Fuere interea Romanis auxilio Burgundiones . . . Franci, Saxones.“

[5]) cf. Sidon. Apollin. panegyr. in Avitum, carm. VII, v. 319: „Bructerus ulvosa vel quem Nicer alluit unda Prorumpit Francus . . .“

Paucis annis post non multo ante Aegidium Romanorum ducem mortuum Odovacrius magna cum Saxonum manu ex illis, quae Ligeris ostio adjacent, insulis flumen adversum navigans in Romanorum terras expeditionem fecit, ad Andegavos usque processit, ibique magnis caedibus rapinisque factis obsidibusque acceptis reversus est.[1]

Altera expeditione, quam Odovacrius ex iisdem insulis et fortasse quoque finitimis oris anno 477 suscepisse videtur, ad Andegavos iterum pervenit et urbem ipsam cepit. A Romanis autem, quibus Childericus I, Francorum rex, auxilio venerat, victus atque fugatus est. Insulae inde a Francis captae, omnino direptae, incolae interfecti sunt. Quibus rebus coactus Odovacrius pacem et foedus iniit cum Childerico, quem in bello cum Alemannis, qui parte Italiae devastata redierant, gesto adjutus est.[2]

Attamen maxime verisimile est, in illis insulis et oris finitimis Saxonum nomen non omnino hoc bello exstinctum esse, sed qui bello superfuerunt, per aliquod tempus sedes ibi habuisse. Sed non multo post quodque potentiae et nominis eorum indicium in his regionibus evanuisse videtur, quia postero tempore nihil de his terris refertur, quod ad Saxones attineat.

Scriptores, qui harum expeditionum mentionem faciunt, facta tantum memoriae tradunt, de causis autem, quibus illae ortae sunt, quatenus in ipsius populi vitae conditionibus sitae erant,

---

[1]) cf. Greg. Turon. l. c. II, c. 18: „Odovacrius vero cum Saxonibus Andegavos venit: magna tunc lues populum devastavit, mortuus autem est Aegidius.“ Anno igitur 463 aut 464 expeditio facta esse videtur. — cf. Chronic. Moissiac. ap. Pertz l. c. I p. 284: „Athovagrius, rex Saxonum cum hoste navale Andegavis civitate venit: magna tunc caede populi vallavit. Athovagrius itaque de Andegavis vel aliis civitatibus obsides accepit.“

[2]) cf. Greg. Turon. l. c. II, c. 19: „His ita gestis inter Saxones atque Romanos bellum gestum est: sed Saxones terga vertentes, multos de suis, Romanis insequentibus gladio reliquere: insulae eorum cum multo populo interemto a Francis captae atque subversae sunt. Odovacrius cum Childerico foedus iniit, Alamannosque, qui partem Italiae pervaserant, subjugarunt.“ — Chron. Moissiac. l. c.: „Redeunte Athovagrio Childericus rex cum exercitu Francorum ibidem advenit, interfecto Paulo comite, qui in ipsa urbe praeerat, ipsam urbem capit.“ — cf. Loebell l. c. p. 545. — Dubos illas insulas easdem esse, quae a Ptolomaeo Σαξόνων νῆσοι τρεῖς vocantur, intellegit. cf. Loebell l. c. p. 548. — Leo. l. c. I. p. 336 has insulas septentrionali Galliae orae finitimas fuisse censet.

nos certiores non faciunt. Propria enim Germanorum populorum natura et indoles, eique insita vis qualis fuerit, quomodo quantumque excitata et adulta sit et Graeci et Romani scriptores omnino ignorabant. Mira illa et ceteris populis occulta vis, quae belli Marcomannici temporibus multas Germanorum gentes agitabat,[1]) qua etiam singularum manuum vagi errores oriebantur, dum ipsi populi in ipsis sedibus remanent, maximam suam gravitatem eo tempore aperta est, quo Germani Romanorum opibus corruptis fines eorum irrumpebant.[2]) Afflictae enim rei publicae vires insitam et quasi innatam Germanorum praedandi cupidinem magis magisque allicebant. Quo factum est, ut catervatim imperii fines invaderent, rapinas et praedas facerent. Ex his sequitur, ut nusquam sedes et domicilia certa inveniamus, in quae mores et instituta paterna transtulerint. Quare illud ipsum litus Saxonicum nomine tantum testis est, hunc populum Saxonum crebras incursiones fecisse et in aliquod tempus sedes in his locis sibi paravisse.

Verum enimvero ab illis incursionibus longe diversa et maxime singularis est illa Saxonum Britanniae occupatio. Mittamus autem hoc loco, quo modo ipsa res gesta sit, et observemus tantum, illam occupationem ad sedes certas parandas initio non tendisse, sed opportunam rerum conditionem eos impulisse, ut perpetuas sedes ibi collocarent. Praeterea commemorandum est, Saxones in hanc insulam non solum arma tulisse, sed etiam mores, leges, instituta, in quibus bonus et certus Britannicae civitatis status, qualis postero tempore fuerit, positus erat.[3]) Inter ea autem,

[1]) cf. Capitol. c. 14: „Profecti itaque sunt paludati ambo imperatores, Victovalis et Marcomannis cuncta turbantibus, aliis etiam gentibus, quae pulsae a superioribus barbaris fugerant, nisi reciperentur, bellum inferentibus. cf. Wietersh. l. c. II. p. 39, 49, 68.

[2]) cf. Grimm. l. c. p. 437.

[3]) cf. Beda. hist. eccles. Angl. I. c. 15. — Herim. Aug. chronic. ap. Pertz l. c. V, p. 83. — Witichind. ap. Meibom. l. c. I. p. 630. — Schaum. l. c. p. 25 ostendere studet, Britanniae occupationem a Saxonibus e litore Saxonico factam esse. Hoc tamem minime verisimile est, quamquam ex his oris nonnullas Saxonum manus, sicut antea, in Britanniam venisse non neges. Scriptores, ut Saxones, qui Britanniam et Germaniam incolebant, internoscant, hos multis locis Saxones antiquos vocant. cf. Beda l. c. I, 15; V, 10. — Bonif. epist. 19 ad Ethelbald. — Zeuss. l. c. p. 388.

quae his in Britanniam transgressis Saxonibus maxime propria sunt, praecipue regia dignitas habenda est, quae apud Saxones continentem incolentes non invenitur. Qua de dignitate pauca dicenda videntur, quoniam ad comprobandam nostram sententiam, Germaniam inferiorem non occupatione Saxoniam factam esse, magnopere confert. Nam quaevis occupatio ad civitatis cujusdam diuturnitatem confirmandam suscepta ab eo tantum populo confici potest, cui unus dux summa potentia praeditus praepositus est. Ut illa Schaumanni opinio recta sit, ut occupatio tribus illis expeditionibus facta sit, cuique expeditioni unus dux praefuerit necesse est, ut in aliorum Germanorum expeditionibus et occupationibus factum videmus; qua ex re etiam apud Longobardos, alios, dignitas regia orta est. Idem factum est apud Saxones, qui Britanniam occupaverunt. Apud illos contra, qui in continente remanserant, Saxones nihil inveniri potest, quod talem vim et effectum invasionis occupantium demonstrare posset.[1]) Quare etiam in bellis cum Francis usque ad Pipini III. aetatem gestis Saxones in singulas civitates distracti erant, illis temporibus non exceptis, quibus omnibus commune periculum imminebat. In illis demum bellis, quae cum Pipino III. gesserunt, Theodoricus unus belli dux fuisse videtur. Pagis singulis viri praefuisse videntur, „qui ingruenti belli articulo mittunt aequaliter sortes et quemcunque sors ostenderit, hunc tempore belli ducem omnes sequuntur et huic obtemperant. Peracto autem bello rursum aequalis potentiae fiunt satrapae.“[2])

§. 2.

De rebus a Saxonibus cum Francis gestis.

Saxones, qui Germaniae regiones inter occasum solis et septentrionem sitas ad utramque Visurgis ripam et ex parte ad Albim usque patentes incolebant, per complura saecula non

---

[1]) cf. Poëta Saxo ap. Pertz II, p. 228: „Que nec rege fuit saltem sociata sub uno, Ut se militiae pariter defenderet usu, Sed variis divisa modis plebs omnis,“...

[2]) cf. Bed. l. c. V, 10. — Huckbald. vit. St. Lebuini ap. Pertz II, p. 631: „Singulis pagis principes praerant singuli.“ — Poët. Sax. ad ann. 772 ap Pertz II, 228: habebat (plebs omnis) Quot pagos tot paene duces.“

lacessitos ibi habitasse nemo contendet. Migrationibus atque seditionibus, quibus saeculo quarto et quinto omnium fere Germanorum populorum sedes mutabantur, Saxones quoque coacti esse videntur, ut nonnullae eorum civitates sedes moverint. Multis enim indiciis certum est, complures, quae regiones utriusque Albis ripae obtinuerant, Saxonum partes communi gentium migrationis itinere utentes occidentem versus et quidem in terras Rheno inferiori adjacentes illo tempore se contulisse. Ita magna Varinorum pars eo pervenit,[1]) dum ceteri priores sedes obtinent;[2]) quibus in regionibus Thuringos quoque invenimus, quos cum iis, qui Thuringiam orientalem incolebant, affinitate conjunctos fuisse, maxime verisimile est.[3]) Simili modo Chauci ad occidentem migrarunt et cum Frisiorum populo in unum confusi esse videntur.[4]) His populorum motionibus et eo, quod Francorum regni fines magis magisque in orientem proferebantur, factum est, ut alter alterum populum in his quoque terris cognosceret. Franci autem, quos nullius populi arma terrore afficere poterant, adjacentes populos et terras sub suam potestatem redigere magis, quam antea, studebant. Postquam igitur Thuringi orientales subacti sunt, Francorum regni fines Saxonum terras attingebant. Quum autem utriusque terrae fines et natura et pactione parum firmi et stabiles essent, rapiendi et praedandi occasione data utrique uterentur, factum est, ut alter alteri populo infestus redditus sit, de terminis contentiones fere continuae inter utrosque ortae itaque majoris et dilatioris belli causae persaepe datae sint.[5])

---

[1]) cf. Procop. de bello Goth. c. 21: „Οὐάρνοι δὲ καὶ Φράγγοι τουτὶ μόνον τοῦ Ῥήνου τὰ ὕδωρ μεταξὺ ἔχουσιν."

[2]) Id. l. c. II, 15.

[3]) cf. Greg. Turon. l. c. II, c. 9: Ferunt etiam tunc Clogionem, utilem ac nobilissimum in gente sua, regem Francorum fuisse, qui apud Dispargum castrum habebat, quod est in termino Thoringorum; in his autem partibus, id est ad meridionalem plagam, habitabant Romani usque ad Ligerim fluvium. cf. Rospatt l. c. p. 13.

[4]) cf. Grimm. l. c. p. 668 sqq. q. 678.

[5]) cf. Einhard. ap. Pertz l. c. II, p. 446: „Suberant et causae, quae quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri et illorum paene ubique in plano contigui, praeter pauca loca, in quibus vel silvae majores, vel montium juga interjecta utrorumque agros certo limite disterminant, in quibus caedes et rapinae vel incendia vicissim fieri non cessabant; quibus Franci adeo sunt

Thuringis subactis Saxones, qui meridiem versus ad Unstrutam usque terram obtinebant, primis Francorum invasionibus expositi erant, quorum aut cum ipsis Thuringis aut paucis annis post Saxones Eucii, qui vocantur, regno adjuncti esse videntur. [1]) Itaque ceteri ibi habitantes Saxones periculo inde iis imminente recte intellecto quum Thuringi multis annis post a Francis deficere vellent, cum iis consociati sunt, ut in excutiendo Francorum imperii jugo eos juvarent. Clotharius I. vero, Francorum rex, anno 553 primum contra Saxones profectus est; ad Visurgim magna clade eos devicit; deinde per Thuringiam iter fecit et eam plane depopulatus est. [2]) Tametsi scriptores referunt, Saxones praecipue hoc bellum cum Francis gessisse, tamen verisimile est, Thuringos belli concitatores fuisse et primas seditiones movisse, quum Francorum imperio diutius obedire nolient. Hoc autem bello factum videtur, ut Saxonibus tributum quingentarum vaccarum quotannis solven-

---

irritati, ut non jam vicissitudinem reddere, apertum contra eos bellum suscipere dignum judicarent. — Poët. Sax. ad ann. 772. ap. Pertz l. c. II p. 228: „Vix limite certo Divisi gentis fines utriusque cohaerent."

[1]) cf. Epist. Theodobert. ad Justin. ap. du Chêsne l. c. I p. 862: „Dei nostri misericordia feliciter subactis Thuringis et eorum provinciis acquisitis... cum Saxonibus Euciis, qui se nobis voluntate propria tradiderunt." — Zeuss l. c. p. 357 internoscit duos populos, Saxones et Eucios. Quo fieret, ut omnes Saxones orientales terras incolentes Thuringis victis statim a Francis oppressi essent. Eucios autem septentriones versus in Jutlandiam, quae hodie dicitur, migrasse putat. Priorem sententiam nullam veri speciem prae se ferre sequentibus cum Saxonibus rebus gestis satis apparet, Euciorum autem (sive Iutarum) in Jutlandiam migrationis via itineri, omnibus fere Germanicis populis migrantibus communi, quod ad regiones meridionales vel inter meridiem et occasum solis spectantes tendebat, plane opposita est. cf. Zeuss. l. c. p. 499. sqq. Fortasse Saxones Eucii iidem sunt, qui postea cum ceteris Saxonibus seditione facta Carlomanno anno 745 contra ipsos proficiscenti sine proelio se subjecerunt.

[2]) cf. Gregor. Turon. l. c. IV, c. 10. — Append. ad chron. Marcellin. ap. Mascov. Geschichte der Deutschen II. p. 166. — Aimon. hist. Franc. ap. du Chêsne I. p. 709a. — Venant. Fortun. IV, 2, quem ad locum cf. Zeuss l. c. p. 387 not. — Eo, quod Saxones his aliisque multis locis rebelles vocantur, elucere videtur, Francorum reges postulasse, ut omnes Saxonum populi imperio Francorum parerent. Quod etiam ab iis, qui orientalis Saxoniae terras incolebant, factum est. Tributum enim fere continuum solvebant, et in bello cum Dagoberto I. gesto Bertoaldus, qui unus ex Saxonum belli ducibus fuisse videtur, se regi subditum esse dicit. Postea haec significatio „rebellis" in perpetuum Saxonum quasi cognomen abiisse videtur.

dum impositum sit, quod postea a Dagoberto I. iis remissum est. Aperte enim Aimonius dicit: „Quingentas namque vaccas inferendales a Clothario seniore, Clodovei filio, Chilperici patre, regiae mensae inferre jussi fuerant.“ [1]) Extemplo, ut mea fert opinio, anno sequenti Saxones tributum denegarunt et Francos in finibus vicinos rixis perpetuis lacessiverunt, quas anno 555 nova in Saxones expeditio secuta est. Appropinquante vero Francorum exercitu terror eos invadit, legatos mittunt, tributum integrum se daturos esse promittunt et regis animum, ut bello desistat, commovere student. Exercitus autem Saxonibus diffidens pugnare cupit. Frustra Saxones vestimenta, pecora, bona, quae moveri possunt et totius terrae dimidium offerunt. Rex lenem et propensum animum ostendit. Milites autem tentorium ejus concerpunt, maledicta in eum confundunt et ipsam mortem ei minantur. Quibus coactus rex pugnam init. Tanta autem clade Saxones eum afficiunt, ut ipse pacem petat et exercitum reducat. [2]) Quamquam dubium non est, quin Franci acerrimo proelio victi sint, tamen id, quod Gregorius de actionibus pugnae antecedentibus refert, veri speciem minime habere, sed maxime fabulosum esse videtur. Paulo infra [3]) Gregorius alius in Saxones expeditionis mentionem facit. Saxones occidentales a Childeberto I. contra Clotharium fratrem, inter quos dissensiones ortae erant, incitati, anno sequenti (556) Francorum fines invadunt multasque rapinas faciunt. A Francis vero victi et fugati sunt. [4]) Quamvis huic scriptoris narrationi nihil, quod ad rem ipsam attinet, opponere possim, tamen non intellego, qua de causa dicere possit: „indignantes contra Francos superiori anno,“ quum superioris anni expeditio contra eos solos Saxones, qui orientalem Saxoniam incolebant, facta sit. Fortasse eorum studium his verbis declarare velit, quo Childeberti invitationem secuti sint. Id tamen eo potius natum

---

[1]) l. c. IV, c. 26 ap. du Chèsne l. c. III p. 112. — Gesta Dagob. ibid. I, p. 581. — Fredegar. chron. 74. —

[2]) cf. Greg. Turon. l. c. IV, c. 14. — Aimon. ap. du Chèsne l. c. IV p. 41.

[3]) cf. Greg. Turon. l. c. IV, c. 16.

[4]) „Fortiter tunc rex Clotacharius contra Saxones decertabat. Saxones enim, ut audierant, per Childebertum commoti, atque indignantes contra Francos superiori anno, exeuntesque de regione sua in Franciam venerunt, et usque ad Divitiam civitatem praedas egerunt, nimiamque grave scelus perpetrati sunt.

videtur, quod, sicuti fratres in orientalibus terris hostes feliciter vicissent, se quoque in occidentalibus patriae finibus Francorum copiis sibi ipsis non minus imminentibus detrimentum allaturos esse sperabant.

Omittamus hoc loco victorias, quas Childebertus primus 561—575) et Chilpericus I. (561—584) a Saxonibus reportasse dicuntur, quae ab uno tantum scriptore, cui magna fides non habenda est, traduntur;[1]) ad minores enim prosperos eventus in continuis fere de terminis contentionibus partos referendae esse videntur.

Attentiores autem animos teneamus ad expeditionem, quam cum Longobardis magna Saxonum pars in Italiam fecit. Quibus rebus commoti hi Saxones ad occupandas novas sedes Longobardis se adjunxerint, non satis exploratum habemus, quamquam verisimile est, rebus dubiis, quae ex illis cum Francis dissensionibus ortae erant, ad paternas sedes relinquendas eos adductos esse. Quo tempore Alboinus cum universo populo suo Italiam petiturus erat, ad Saxones, veteres Longobardorum amicos, legatos misit, qui eos peterent, ut una cum Longobardis in Italiam proficiscerentur. Quorum etiam viginti sex millia cum uxoribus es liberis, bonis fortunisque ad Longobardos se contulerunt. Quod jam circa annum 561 factum esse videtur. In terras, quae incolis ita vacuefactae sunt, Suavi aliorumque populorum partes Sigeberti, Francorum regis, jussu immigrarunt, sedes et domicilium ibi posuerunt.[2]) Attamen haud multo post Saxones, quum anno 568 Italiam introissent, a Longobardis numero multo majoribus circumventi et inter utrosque controversiae ortae esse videntur. Ad quas provocandas morum et institutorum utriusque populi diversi-

---

[1]) cf. Venant. Fortun. VI, carm. 3; VII, carm. 7; IX, carm. 1.

[2]) cf. Paul. Diacon. II, 6. — Gregor. Turon. l. c. V, 15. — Fredegar. epit. c. 68 contra refert, Theodebertum Saxones in Italiam misisse et in locis et castellis constituisse, quae Franci sub suam potestatem redegerant. — Aimon. II, c. 21 dicit, Theodebertum partem Italiae sibi subjecisse, st infra III c. 7: „Saxones, qui ad Italiam jussu Theodoberti senioris demigraverant.“ — Jam ante annum 548, quo Theodobertus mortuus est, hos Saxones in Italiam venisse pro certo habeas necesse est. Factum etiam esse potest, ut usque ad Longobardorum invasionem ibi habitarent et una cum iis Saxonibus, qui cum Longobardis in Italiam venerant, in Galliam irruperent et domum reverterentur.“

tatem permultum contulisse recte concludas. Refert enim Paul. Diacon. l, c.: „Sed quantum datur intellegi, noluerunt Longobardorum imperiis subjacere. Sed neque eis a Longobardis permissum est in proprio jure subsistere, ideoque aestimantur, ad suam patriam repedasse.“ Malebant in patriam redire, quam in jure suo et libertate interpellari. Quum deinde eorum pars anno 572 Galliam ingressa praedas captivosque faceret, a Mummolo patricio, ut rediret, coacta est.[1]) Constituerunt autem Saxones, cum feminis, liberis atque omnibus facultatibus iterum in Galliam invadere et Sigeberti regis consensu patriam repetere. In duas partes divisi anno 573 itineri se commisserunt, eandem tenentes viam, qua superiore anno usi erant. Utraeque partes, altera per Niceam (Nizza), altera per Ebrodunum (Embrun) profecta, in Avennium territorium convenerunt, agros occuparunt eorumque segetes inter se diviserunt. Mummolus vero magno cum exercitu denuo iis obviam profectus impedivit, quominus Rhodanum transgrederentur. Quod quum multis pecuniis datis impetrassent, Sigeberto permittente in patriam redierunt. Quum autem viderent, Suavos aliosque nonnullos populos sedes suas obtinere, eos vi depellere statuerunt. Suavi tertiam terrae partem, deinde dimidium, tum duas partes, totam denique terram cum pecore Saxonibus se daturos esse promiserunt, si bellum non moverent pacemque servare vellent. Saxones autem quamque conditionem aspernati bellum inceperunt. Saxones tamen victi eorumque viginti millia interfecti sunt. Ji vero, qui supererant, juraverunt, se neque capillos neque barbas tonsuros esse, priusquam ab hostibus poenas repetivissent. Altera autem clade coacti sunt, ut arma deponerent et pacem facerent.[2]) Quam fabulosa tota haec rei relatio sit, tamen Saxones ex Italia rediisse et cum populis sedes suas paternas tenentibus proelio pugnasse negari non potest. Ipsa autem terra, quae a Suavorum vel Nordsuavorum nomine appellata est, sita erat in iis montis Haertz inferioris partibus, quae orientem versus proclives Thuringiae septentrionalis finibus determinabantur.

---

[1]) Castra possuerunt in regione apud Stablonem villam. cf. Jacobs l. c. p. 154: „à seize kilomêtres nord- est de Riez (Basses-Alpes).“

[2]) cf. Greg. Turon. l. c. V, 15. — Paul. Diacon. III, 5, 6, 7. — Gregor. Turon. IV, 37. — Fredegar. epit. 76. — Witichind. ap. Meib. l. c. I. p. 634.

Adjacebat Thuringorum pagus inter flumina Aram (Ohre), Saalam (Saale) et Badam (Bode), pagus Hessorum in regione urbi Merseburgio adjacente, cujus orientales fines tangebant pagum Frisiorum.[1]) Quae territoria antea quoque a Saxonibus obsessa esse et, postquam ex iis emigraverunt, a Thuringis, Hessis et Frisiis Sigeberti jussu occupata esse videntur. Si autem postero tempore Nordsuavorum pagus „fines Saxonum" quoque vocantur,[2]) illos ex Italia reversos Saxones non omnes a Suavis interfectos, sed permultos eorum in patria sedes et domicilia iterum posuisse pro certo habendum esse videtur.

Usque ad Dagoberti I. (622—638) aetatem rerum inter Saxones et Francos gestarum mentio non fit. Hujus autem regis temporibus Saxones catervatim patriam reliquisse et in diversas regiones se contulisse traduntur.[3]) Quare concludi potest, bellum illud, quod anno 626 inter Francos et Saxones gestum esse memoratur, nihil aliud fuisse, quam quendam cum tali manu praedatoria concursum, quo impedita est, quominus longius procederet. Memoriae enim traditur, anno 626 Saxones ad Clotharium II., Neustriorum regem, legatos misisse, qui ei bellum indicerent; regem autem ob hanc procacitatem hos capite damnavisse; nihilominus bellum ortum esse, a Saxonibus Bertoaldo duce Dagobertum, regem Austrasiorum, qui Rhenum transierat, victum esse. Tum Clotharium ei auxilio venisse, Saxones ad Visurgim fudisse, Bertoaldum cecidisse.[4]) Magnam tamen huic relationi fidem non tribuendam esse eo conjicias, quod Aimonius Clotharii adventum et factum maxime fabulose describit, Gesta Dagoberti copiosissime rem narrant et in majus extollunt. Quibus rebus commoti complures viri docti rem fabulam tantum esse contendunt.[5])

Anno 630, quum Francos Winidi, quibus Samo imperabat, fugavissent et Thuringiam vastarent, Saxones hac occasione ad

---

[1]) cf. A. v. Wersebe, Beschreibung der Gaue zwischen Elbe, Saale und Unstrut, Weser und Werra. p. 84—124. — Meibom. in not. ad Witichind. l. c. I, p. 670.

[2]) cf. annal. Metens. ad ann. 748.

[3]) cf, Gesta Dagobert. ap. du Chèsne l. c. I. p. 629a.

[4]) Ibid. p. 576. — Vit. Faron. ibid. p. 509. — Aimon. IV, 18 ap. du Chèsne, III. p. 107.

[5]) cf. Mascov. l. c. II, p. 232 not. 1. — Eccard. Francor. orig. I. p. 193.

recuperandam libertatem utentes ad Dagobertum mittunt, ut tributum, quod quotannis solvebant, sibi remitteret. [1]) Moguntiaci convenerunt eum legati, qui ei, si voluntati suae satisfaceret, omni cura et studio Winidis se obstituros et Francorum regni fines Winidorum terris finitimos defensuros esse promiserunt. Dagobertus precibus eorum indulsit et legati populi sui nomine more suo super arma jure jurando id, quod spoponderant, confirmarunt. [2]) Nihil autem hoc Saxonum jus jurandum profuit. [3]) Quasi foedus quoque Saxones cum Francis iniisse videntur, quum in bellis contra Wascones gestis nonnulli Saxones Francis auxilio fuerint. [4]) Accedit, ut Bathildis Clodovei, Dagoberti filii, uxor e gente Saxonum orta sit. [5])

Sequitur, Dagobertum orientales regni fines contra vicinos populos Slavorum armis tueri non potuisse, saepe adversa fortuna pugnasse itaque coactum esse, ut ubera Saxonum tributa pro ambiguo eorum auxilio remitteret. — Per longum inde tempus utrique populi arma reposuisse videntur, quod eo sane profectum est, quod partim principalis belli causa, scilicet tributum, sublata erat, partim Francorum reges infirmiores erant, quam ut in remotioribus regni finibus, et quia insuper incolae dubiae fidei erant, imperium et dignitatem sustinere ac tueri possent. Magni Clodovei posteri nomine magis quam imperio reges erant. Merovei infirmum genus omnibus vitiis confectum magis magisque ad interitum properabat. Dagoberto mortuo per quinquaginta annorum spatium septem reges regno successerunt, quorum quatuor infantes, ceteri enervati juvenes erant, quorum corpora corrupta, animi et ingenii vires hebetiores erant, quam ut pacis et belli res administrare possent. Regum auctoritas erat fere nulla, jam incipiebant eos

---

[1]) cf. Fredegar. chron. c. 68. ap. du Chèsne l. c. I, p. 760.

[2]) Haud dubie nomine eorum Saxonum legati sacramentum dederunt, qui in orientalibus Saxoniae partibus sedes habebant, quum totius relationis contextus ad hos solos spectet, qui tributum illud dare solebant.

[3]) cf. Fredegar. chron. c. 74 ap. du Chèsne l. c. I. p. 762. — Chronic. Moissiac. ap. Pertz l. c. I. p. 286. — Aimon. l. c. IV. 26. — Gest. Dagob. ap. du Chèsne l. c. I. p. 581.

[4]) Agino enim Saxo inter decem exercitus duces memoratur in Gest. Dagob. ibid. I. p. 583a.

[5]) cf. Adon. chron. ap. Pertz l. c.

contemnere.[1]) Quo factum est, ut imperium, quamquam non nomine, re tamen, in viros transiret necesse esset, qui omnibus imperandi virtutibus praediti animi constantiam, vim dominationis cum regnandi sapientia, quae regibus deerant, in se conjungerent, quorum conditio et dignitas talis esset, ut his virtutibus ad summam regni salutem uti possent. Hoc autem Pipinorum genti contigit, ex qua orti nonnulli viri majoris domus dignitate ornati ad solam regni salutem animos intendebant. Pipinus itaque II., nepos illius Pippini, qui Dagoberto II. regnante et post ejus mortem solius regni rationibus consulebat, quum summam imperii dignitatem obtineret et paucorum annorum spatio ab omnibus Austrasiis ob justitiam et temperantiam suam dux appellatus esset, maxime curavit, ut omnes, quae antea cum Austrasiorum regno conjunctae fuerant, terras regno iterum firmiore vinculo adjungeret. Multos enim populos antea Francis subjectos rebus Francorum afflictis, ut libertatem recuperarent, operam dedisse certum est. Pippinus autem contra eos profectus est et nonnullis proeliis eos sub Francorum potestatem coëgit.[2]) Accurate tamen hae expeditiones e scriptorum relationibus cognosci non possunt, quum scriptores has res gestas summatim tantum tradant, quod etiam ratione, qua tales expeditiones ad annum 691 referuntur, satis animadvertere potes.[3])

Sexto hoc saeculo ad finem vergente et septimo ineunte Saxones, qui occidentales Saxoniae regiones incolebant, bella gerentes exstiterunt, initio tamen multo alio modo, ac fratres in orientali Saxonia habitantes, ad quos omnes expeditiones supra memoratae referendae sunt.[4]) Non enim contra Francos, sed sacerdotes christianos, qui jam inde ab anno 677 in Frisia fidem christianam praedicabant,[5]) Saxones insurgunt. Nam quum Suidbertus, qui ex Britannia venerat, sacerdos Boructuarios evangelium doceret et multos eorum in fidem christianam jam recepisset,

---

[1]) cf. Einhard. vit. Carol. M. init. ap. du Chèsne l. c. II. p. 94.

[2]) cf. annal. Metens. ad ann. 687.

[3]) ibid. ad ann. 691.

[4]) Sola anni 556 expeditio contra Saxones occidentales facta esse videtur.

[5]) Hoc anno Wilfridus, episcopus Eboracensis Frisiis christianam doctrinam praedicat. cf. Act. St. Martyr. I. p. 67. — Erhard. l. c. p. 56.

Saxones, qui Boructuariis adfines erant, irruperunt, terram vastarunt, Suidberctum ejusque socios expulerunt, 693.[1]) Haec Boructuariorum terra postea Saxonibus subjecta erat, nomen autem populi in appellatione pago „Boroctra" remansit.

Sunt, qui his rebus extremum allatis apparere censeant, Saxonum vim occupationibus paulatim crevisse.[2]) Haec vero Boructuarum terrae occupatio ea tantum de causa suscepta est, quod in dies augebantur odium et inimicitiae Saxonum contra Francos, qui populos Saxonibus vicinos bello persequentes terras occupare, ipsos devictos in novum imperium et fidem novam recipere jam diu studebant. Eodem fere tempore Pippinus Frisiis bellum intulit, quos ad veram fidem amplectendam perducerent, permulti jam sacerdotes Anglosaxones operam dederant. Quare in finibus maxime vicinis novam christianam fidem multi quum jam confiterentur, Saxones ad res contra Boructuarios gerendas commoti esse videntur, quibus impedirent, quominus Franci imperium suum in vicinas terras latius extenderent et cum libertate patrum fidem et religionem exstinguerent. Diserte enim in relatione additur, eos, qui in christianam fidem recepti essent, ab irrumpentibus Saxonibus expulsos esse.[3])

Quum Pippino mortuo (714) dissensiones de creandis domus majoribus ortae essent, Saxones et Frisii hac occasione minuendae Francorum potentiae usi sunt. Certo rei gerendae consilio inter utrosque instituto Francorum fines invasisse videntur. Nam quum Saxones anno 715 in Hattuariorum terras priore jam tempore Francorum regno adjunctas irrumperent,[4]) Radbodus, Frisiorum

---

[1]) cf. Bed. l. c. V. 12.

[2]) cf. Schaum. l. c. p. 19.

[3]) Memoratur etiam, anno 695 Ewaldos fratres, quum ad veram fidem praedicandam in Saxonum fines venissent, interfectos esse. cf. Bed. l. c. V. c. 11. De loco, quo caedes facta esse videtur cf. Ledebur. l. c. 279.

[4]) cf. annal. St. Amand. Til. et Petav. ap. Pertz l. c. I. p. 6 sqq. — Enhard. ann. Fuld. ibid. p. 343. — Ann. Metens. ad. ann. 716 ibid. p. 323. — Hattuarios sive Chattuarios non ad Rurae in Rhenum fluentis ostium, sed in Geldria ad utramque Nersae ripam habitasse testimoniis intellegi potest, quae Zeuss. l. c. p. 99, 336 affert. — cf. Wietersh. l. c. I. p. 296. — Ledebur, l. c. p. 152 sqq. eos Visurgim inter et Rhenum sedisse vult. — Mascov. l. c. II, p. 267 n. 4 Hattuarios Hessiae, Attuarios vero Geldriae incolas esse vult.

dux, magnam Frisiae partem, quae anno 691 a Pipino ei erepta esse videtur, subjecit et sequentis anni mense Martio multis cum navibus adversum Rhenum subiit.[1]) Carolus Martellus, spurius Pippini filius, quum e custodia, qua Plectrudis, Pippini vidua, eum tenebat, elapsus a Neustris dux appellatus esset, priusquam Radbodus cum Raginfrido, domus majore Neustriorum, se conjungere posset, magno cum exercitu ei obviam venit et cum eo dimicavit. Sed a Frisiis acerrimo proelio clade affectus, pulsus atque fugatus est. Statim utriusque populi superbiam frangere et acceptam cladem ulcisci ob multas controversias, quae in ipso regno componendae erant, non potuit. Quo factum est, ut paucis annis post, anno 718, contra Saxones profectus sit, quorum ii, qui orientalis Saxoniae partes incolebant, eo tempore, quos Carolus et Raginfridus de majoris domus dignitate armis inter se certarent,[2]) quandam Thuringiae partem suis finibus adjunxisse videntur. Thuringi enim superbia et crudelitate ducum suorum, Theotbaldi et Hedenis, commoti a Francis defecerant et Saxonum ditioni se tradiderant.[3]) Saxones exercitum contra eum non duxisse, sed trans Visurgim recessisse videntur. Carolus Saxoniam incendiis et rapinis ad Visurgim usque vastavit.[4]) Eum autem terram tantum, non ipsum populum in potestatem suam redegisse, multis expeditionibus, quas contra Saxones sequentibus annis fecit, apertum est. Annis enim 720, 721, 725, 728 Carolus iterum iterumque coactus est, contra Saxones, qui continuis irruptionibus Francorum fines depopulabantur, proficisci et ab ipsis audaciae poenas repetere. In apertis vero agris Saxones hosti non restiterunt, sed regressi sunt trans Visurgim, quem Carolus non trajecit.

---

[1]) cf. Chron. Moissiac. ap. Pertz l. c. I. p. 291. — Enhard. an. Fuldens. ibid, p. 343. — Ann. Petav. ad ann. 716 ibid p. 6.

[2]) cf. ann. Lauresh. ad ann. 717 ap. Pertz l. c. — Annal. Laubacens. ibid. I p. 6.

[3]) cf. Wilibald. vit. St. Bonif. ap. Pertz. l. c. II. p. 344. Hoc vero ad eos tantum Saxones referendum est, qui septentrionales Thuringiae partes incolebant; nam in meridianis partibus nullum Saxonum potestatis indicium postea invenitur.

[4]) cf. ann. Met. ibid. I. p. 324. — Ann. Petav. ibid. I. p. 7. — Adonis chron. ibid. II. p. 318, — Annal. Fontanell. ap. Pertz. l. c. II, p. 279.

Semper autem terra vehementissime direpta victor rediit.[1]) Brevi inde temporis spatio interjecto postremam in Saxones expeditionem fecit. Nam quum Frisii compluribus expeditionibus Francorum anno demum 734 iis subjecti essent, et fides christiana sine periculo doceri posset,[2]) Carolus annis sequentibus belli apparatum majorem, quam qui antea factus erat, ad Saxones debellandos instruxisse videtur, quod ex prospero rerum eventu concludas. Anno 738 Rhenum, ubi Luppia influit, magno cum exercitu trajecit et ad Visurgim usque hostes persecutus est. Totam terram, quam prioribus quoque expeditionibus belli furor laceraverat, domuit, incolis ex parte tributo obsidibusque imperatis pacem composuit.[3])

His temporibus, quibus cum Saxonibus, qui occidentalem Saxoniae partem incolebant, bella gerebantur, ii, qui orientem versus habitabant, nihil in Francos egisse et pacem servavisse videntur. Attamen anno 743, quum Odilo, Bajoariorum dux, a Francis deficeret, Saxonum manus exercitum ejus adauxit.[4]) Carolomannus et Pippinus fratres, qui patris Caroli Martelli dignitatem inter se diviserant, Odilonem devicerunt. Interim Saxones in Thuringorum fines invaserant, ut alteram Francorum exercitus partem aggrederentur itaque Bajoarios amicos suos magnam partem a belli periculo liberarent. Vicerunt etiam exercitum, quem Carolomannus contra eos miserat, acri proelio, quo praeter alios multos nobiles Geroldus quoque Moguntiae episcopus trucidatus est.[5]) Odilone autem devicto ipse Carolomannus contra Saxones

---

[1]) Ad ann. 720 cf. ann. St. Amand. Til. Laub. Petav. ap. Pertz. l. c. I p. 7. — Ann. Quedlinb. Weissenburg. Lambert. ibid. III. p. 34. — Ad annum 721 cf. ann. Enhard. Fuldens. ibid. — Ann. Lauriss. minor. ibid. I, p. 114. — Ad annum 725 cf. Fredegar. chron. ad hunc annum. — Ad annum 728 cf. ann. Petav. ibid. I, p. 9.

[2]) cf. ann. Enhard. Fuldens. ap. Pertz l. c. I. p. 344. — Annal. Metens. ibid. p. 326. — Chronicon Moissiac. ad ann. 734. — Annal. Quedl. Weissenb. Lambert. ad ann. 734 ibid.

[3]) cf. Fredegar. continuat. c. 109 ap. du Chèsne I. p. 771. — Annal. Fuldens. ad ann. 737. ap. Pertz l. c. I p. 345. — Ann. Lauriss. min. ad ann. 738 ibid. p. 115.

[4]) cf. Annal. Metens. ad ann. 743 ap. Pertz l. c. I. p. 327.

[5]) cf. Othlon. vit. St. Bonif. ap. Pertz l. c. II. p. 347.

profectus est, castrum eorum Hochseburgium cepit et trans Visurgim Saxones repulit.[1])

Inter obsides, quos accepit, Theodoricus fuit, eo tempore belli dux, qui jurato jure jurando a victore in patriam dimissus est.[2]) Parum tamen profuit Francis victoria ab hostibus reportata. Nam sequenti anno Carolomannus et Pippinus junctis manibus contra Theodoricum, qui datum jus jurandum neglegebat, proficisci coacti sunt. Denuo castrum et ducem ceperunt; pax denuo confirmata, Theodoricus in Franciam ipsam in servitutem abductus est.[3]) Anno 745 solus Carolomannus ad bellum contra Saxones gerendum profectus terras regno suo confines cepit, quo factum est, ut incolarum complures baptizarentur.[4])

Carolomannus anno 747 dignitatem suam fratri natu minori soli tradidit et ipse regno relicto in Italiam se contulit, ut in claustro in monte Cassino sito vitam cultui divino sacraret. Pippinus igitur solus Francorum major domus factus est. Hic fratrem Griphonem, spurium Martelli filium, custodia, in qua per sex annos fuerat, liberavit, summis honoribus affecit, multos ducatus et villas ei donavit. Gripho vero his non contentus aliquam regni partem sibi postulavit; ad quam assequendam multos et nobiles juvenes in suas partes traxit, quibuscum ad Saxones confugit, qui libenter eum receperunt et sive nova libertatis recuperandae spe sive magnis promissionibus incitati multis copiis parvam ejus

---

[1]) cf. Pertz l. c. I, p. 134, n. 2: „Hoch-Seeburg in pago Hosi, jam Seeburg in comitatu Mansfeldico, ad confinium Saxoniae et Thuringiae Franciae inter occidentem et meridiem Halaè Saxonum.“ — Castrum Hochseeburg prope Wolfenbüttel situm fuisse et haud dubie Asseburg hodie vocari demonstrat Ledebur in „Blicke auf die Literatur . . . p. 44.

[2]) cf. annal. Einhard. ap. Pertz l. c. I. p. 135. — Annal. Metens. ad ann. 743 ibid. p. 327. — Reginon. chronic. ibid. p. 555. — Othloni vita St. Bonif. ibid.

[3]) cf. annal. Metens. ap. Pertz. l. c. — Annales Fuld. ad ann. 745.

[4]) cf. annal. Metens. ap. Pertz. l. c. I. p. 328. — Fredegar. chronic. ap. du Chèsne l. c. I, p. 773: „Evoluto triennio iterum Carlomannus confinium Saxonorum ipsis rebellantibus cum exercitu irrupit, ibique captis habitatoribus, qui suo regno adfines esse videbantur, absque belli discrimine feliciter adquisivit, et plurimi eorum baptismi sacramento consecrati fuerunt.“ — Carlomannus hac expeditione Saxones, qui terras circa oppidum „Duderstadt“ patentes incolebant, vicisse videtur, affines Saxonibus Nordsuavis, quos Pippinus anno 748 subegit.

manum reddiderunt validissimam. Ad Occaram fluvium prope locum, quem scriptores Orhemium [1]) vocant, Griphonis et Saxonum exercitus castra posuerunt. Pippinus vero anno 748 per Thuringiam in Saxoniam invasit, et Slavorum [2]) et Frisiorum [3]) principes cum multis hominum millibus ei subvenerunt. Saxones, quos vocant Nordsuavos, finibus ferro ignique devastatis Francorum ditioni se tradiderunt et multi eorum in christianam fidem recepti et baptizati sunt. [4]) Inde ad locum „Scahaningi" ad flumen „Missaha" [5]) situm iter direxit, [6]) castrum Hochseburgium tertium occupavit, et Theodoricum, qui e captivitate sive demissus sive elapsus erat, tertium cepit. Tum ad Occaram fluvium contendit, cujus in altera ripa Saxones duce Griphone praesidia firmissima muniverant. Ann. Metens exinde referunt, Saxones, quum praesidiis se tueri non posse intellexissent, castris nocte relictis in fugam se vertisse; Pippinum autem totam fere Saxonum terram per quadraginta deinceps dies vastasse, castella eorum evertisse et victorem in Franciam rediisse. Majorem autem veri speciem prae se fert illa Einhardi relatio, Saxones Griphonem fratri reconsiliare frustra tentavisse, ipsos cum Pippino aequis conditionibus pacem composuisse. [7]) Gripho, quum ei persuasum esset, Saxonum armis se defendi non posse, in Bajoariam effugit. [8]) Verisimile est,

---

[1]) Orhemium pagus quidam parvus ad Occaram situs hodie Ohrum est prope „Wolfenbüttel."

[2]) Slavi Winidi esse videntur, contra quos Francorum fines se defensuros esse Saxones Dagoberto I. olim promiserant.

[3]) Frisiones haud dubie ii sunt, qui in orientalem partem pagi Hose (Hassegau), quae postea „Frisonefeld" (regio circum „Eisleben") vocabatur, coloni abducti erant. cf. v. Wersebe l. c. p. 84 sqq.

[4]) cf. annal. Metens. ap. Pertz l. c. I, p. 330. — Fredegar. chron. ad hunc annum ap. du Chèsne l. c. I. p. 773.

[5]) Scahaningi hodie vocatum „Schöningen" situm est ad flumen „Meissau" in ducatu Brunswicensi.

[6]) cf. annal. Einhardi ad ann. 747. — Ann. Metens. ap. Pertz l. c. I p. 330. — Regin. chron. ibid. p. 556. — Annal. Fuldens. ibid. p. 346.

[7]) cf. annal. Lauriss. minor. ad ann. 749 ibid. p. 115: „Saxones cum Griphone adunati super fluvium Hobacar in loco, qui dicitur, Horoheim, Griphonem cum Pippino pacificare cupiunt. — Einhard. annal ad ann. 747: „Proelium tamen non est inter eos commissum, sed ex placito discesserunt.

[8]) Griphonis seditionem quanti momenti fuerit, maxime St. Bonifacii literis quas Griphoni scripsit, apertum est. cf. ep. St. Bonif. ed. Würdtwein. ep. 92

Saxones, qui Nordsuavi vocantur, hac expeditione coactos esse, ut tributa, quae Clothario quondam solvebant, ab eo inde tempore integra se daturos esse promitterent. His enim, qui Francorum regno confines erant, a Dagoberto I. illa tributa olim remissa erant.

Paucis annis intermissis Saxones, qui ad occidentem spectantes Saxoniae terras incolebant, foedera, quae cum Carolo Martello anno 738 fecerant, violasse videntur. Tributa, quae Carolus his Saxonibus ex parte imposuerat, solvere eos recusavisse et Francorum regni fines adjacentes crebris irruptionibus incertas reddidisse recte opinaris. Pippinus rex igitur anno 753 magna cum copiarum multitudine Rhenum trajecit, praesidia eorum evertit, castrum, quod Iburgium dicitur,[1]) acerrima pugna cepit, et ad Remiam[2]) usque hostes persecutus est.

Tanta vero fuit strages Saxonum eorumque patriae devastatio, ut pacem peterent, se multo majora prioribus tributa soluturos esse promitterent, obsides darent et jure jurando confirmarent, se non impedituros esse, quominus christiana religio in ipsorum terris doceretur, et, qui optarent, baptizarentur. Tributum autem trecentorum equorum solvere debebant. Pippinus multos captivos utriusque sexus secum abduxit et exercitus magna praeda onustus ad castrum, quod Bonnam vocant, in patriam reversus est. Attamen Franci quoque hoc bello magnam jacturam fecisse videntur, quum Hildegarium, archiepiscopum Coloniensem, in Iburgio castro expugnando cecidisse tradant.[3])

At illa pax cum Saxonibus facta paucorum tantummodo fuit annorum. Saxones enim sive seditionibus sive eo, quod multi

p. 262: „Obsecro et adjuro pietatem vestram . . . ut, si tibi Deus potentiam donaverit, adjuvare studeas servos Dei, sacerdotes, presbyteros, qui sunt in Thuringia.“ — Caveas autem, ne his literis conjicias, Bonifacium Griphonis seditioni favisse. cf. Leo l. c. I. p. 474 annot.

[1]) Viberg, Viburg, Wicberc, Juberg, Luberg (ann. Bertin. ad ann. 753 ap. du Chèsne l. c. I. p. 151) hodie vocatur „Iburg“, situm in ducatu Osnabrucensi.

[2]) cf. Einhard. Vit. Carol. Magni ap. du Chèsne l. c. II. p. 74c.: „Rimia super fluvium Visora (Weser), ubi confluit Warana (Werra).“

[3]) cf. Fredegar. chron. c. 118 ad ann. 753. — Annal. Einhard. ap. Pertz l. c. I, p. 139. — Annal. Lauriss. min. ad ann. 754 ibid. p. 116. — Annal. Fuldens. ibid. p. 346. — Annal. Metens. ad ann. 752 ibid. 331. — Regin. chron. ad annum 751 ibid. 556.

jam baptizati ad paganitatem redierant, foedera ita ruperant, ut Pippinus bellum iis inferendum esse existimaret. Quum omnia ad rem gerendam ei apta ac parata essent, Pippinus rex anno 758 expeditionem et eam quidem extremam suscepit. Exercitum Rhenum eo loco, quo Luppia influit, quamquam nullus scriptor refert, trajecisse, cursu, quem deinde tenebat, verisimile esse videtur. Munitiones hostium,[1]) quae pertinaciter defendebantur, Pippinus vi cepit, hostibus proelio fugatis, vallum, quo patriam tueri conabantur, expugnavit et in loco, qui Sithnia dicitur,[2]) castra posuit. Multis deinde et levioribus pugnis victor terra vehementissime vastata Saxones denique in ditionem redegit. Attamen ad Visurgim usque non processisse videtur. Pacem cum iis iniit ea conditione, ut ad annuos conventus tributum trecentorum equorum[3]) honoris gratia se missuros et omnia, quae injuste abstulissent, restituturos esse pollicerentur. Quibus ita compositis et Saxonum jure jurando more confirmatis[4]) Pippinus victor in Galliam rediit. Hanc pacem Saxones multis etiam annis post Pippinum mortuum servaverunt.[5])

---

[1]) Munitiones esse praesidia et aggeres intellegas necesse est, quae defendendi causa in montibus et silvis exstructae erant. Memoratum autem vallum talem aggerem et non limitem Tiberii fuisse demonstravit v. Ledebur „Blicke auf die Literatur etc.“ p. 102, quo loco munitiones, quibus Saxones uti solebant distinguuntur et quidem loca munita seu munitiones seu civitates, crates seu caesae, valla et fossa.

[2]) Sithnia inter „Dülmen“ et „Haltern“ sita est ad fluvium „Stever“, et hodie nominatur „Sythen.“ cf. Ledeb. Land und Volk der Brukterer p. 283 n. 909. — Pertzius l. c. I. p. 141 dubitat, annon hoc loco Sinide (die Sende) intellegi debeat.

[3]) cf. expeditio ann. 753. — cf. annal. Lauriss. ap. Pertz l. c. I. p. 333: „Pippinus rex in Saxoniam ibat et firmitates Saxonum per virtutem introivit, in loco, qui dicitur Sithnia, et multae strages factae sunt in populo Saxonum: et tunc polliciti sunt contra Pippinum omnes voluntates ejus faciendum et honores in placito suo praesentandum, usque in equos trecentos per singulos annos.“

[4]) cf. Fredegar. chron. c. 74 ap. du Chèsne l. c. I, p. 762: „ . . . super arma placata sacramentis confirmant.“ cf. expedit anni. 631.

[5]) cf. Einhard. annal. ad ann. 758 ap. Pertz l. c. I, p. 141: „Pippinus rex cum exercitu Saxoniam adgressus est; et quamvis Saxonibus validissime resistentibus et munitiones suas tuentibus, pulsis proelio propugnatoribus, per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intravit. Commissisque passim proeliis plurimam ex iis multitudinem caecidit cogitque, ut promitterent, se omnem

Omnes has inter Saxones et Francos ante Caroli Magni aetatem res gestas magni quidem momenti fuisse, sed, quod ad posterum tempus attinet, rerum statum in universum omnino non certum atque stabilem reddere potuisse, neminem, si eventus earum mente animoque attente considerat, potest effugere. Quod ea de causa factum esse censeas, quod Franci contra Saxones profecturi certam occupandi rationem nunquam secuti sunt. Id eo maxime verisimile est, quod non contra totum Saxonum populum, sed semper contra partem tantum aliquam eorum in confinio habitantem singulae expeditiones susceptae sunt. Saxones autem, Francis infestissimi, quum intellegerent, de summis suis rebus agi et Francos, quoties bellum intulissent, omnia delevisse, veteres deorum cultus, instituta et leges opprimere studuisse meminissent, consentaneum erat, eos imminenti et jam jam crescenti periculo omnium virium contentione et quavis ratione resistere. Hac de causa Thuringos cum Francis bellum gerentes adjuvant, dum inter Francos et Frisios res aguntur, in Boructuariorum et Hattuariorum fines invadunt, Thuringiam ingressi Bajoariis auxilio sunt, Griphonem denique, qui perfide a Pippino fratre defecerat, armis tuentur. Quum autem singulae tantum civitates vel pagi, non omnis populus Saxonum, illas contentiones subirent, ut eventus eorum ex parte prosperi in posterum et diuturnum tempus valerent, fieri non potuit. Irruptiones enim Saxonibus nihil profuerunt. Nam aliud non efficiebant, nisi quod Francos cogerent, ut expeditiones ad fines iterum paccandos susciperent. In remotiores autem Saxonum terras Francorum exercitus raro et sine prospero eventu procedebant, quia bellum in singularum manuum contentiones dissolvebatur,[1]) Francorum copiae ubique lacessitae minuebantur. Quo factum est, ut Franci terras occupatas obtinere non possent. Saxones contra, si uno duce universi Francis obstitissent, mox

voluntatem ejus facturos et singulis annis honoris causa ad generalem conventum equos trecentos pro munere daturos. His ita compositis et more Saxonico ut rata esse deberent, confirmatis, in Galliam sese cum exercitu suo recepit.“ — Chron. Hildesh. ad annum 758: „Pippinus Saxones bello superat, equos trecentos reddere in tributum promittunt et restitutionem, quid injuste abstulerunt. — Annal. Metens. ad ann. 758. — Regin. chron. ad ann. 757.

[1]) cf. exped. anni 758. — Einhardi ann. ap. Pertz. l. c. I. p. 141: „Commissisque passim proeliis . . .“

uno vel altero proelio omnino devicti sub hostium potestatem redacti essent. Hac igitur Saxonum singulari belli gerendi ratione, tenaci fortitudine atque constantia impediebatur, quominus Franci totam Saxoniam occuparent regnoque adjungerent. Praeterea inter utrosque populos res intererant, quae usque ad id tempus quidem removeri non potuerant, Francos autem, si inimicitias auferre et pacem servare vellent, cogerent necesse erat, ut postero tempore omnes vires ad has res removendas et plane opprimendas intenderent. Christiana enim fides Francorum et Saxonum paganitas contentionum continuarum semper causa maneret necesse erat. Sed jam Carolo Magno, illi Francorum imperatori potentissimo, contigit, ut hanc rixarum causam amoveret, firma et certa rei gerendae ratione Saxonum populos regno suo arcte firmeque adjungens atque in fidem christianam recipiens. Eadem autem re Saxonibus permultum profuit, quum ad omnes res sibi proprias melius excolendas adducerentur. Nam ea, quae ad politicam, quam vocant, et socialem Saxonum vitam pertinebant, quam diu pagani et Francis inimici manebant, ad summum perfectionis gradum perduci non poterant. Deerat enim Saxonibus, quamquam magnis atque multis ingenii dotibus praediti erant, vis quaedam agens atque excitans, quae simplicem Saxonum vitam ex omni parte excolere potuisset. [1]) Christiana autem religio et Francorum imperium Saxonum conditiones atque statum omnino commutabant. Immutata vero remanebat vetus Germanica virtus atque natura, quibus praecipue Saxonibus contigit, ut postero tempore, quum Francorum regni partes sejungerentur, omnes Germanicas gentes ad unum populum conjungerent atque e sua gente novo imperio principes darent.

---

[1]) cf. Waitz. l. c. III. p. 116.

Corrigenda.

Pag. 3 l. 2 leg. „quaerenda"
„ 10 l. 12 „ „exornat"
„ 11 l. 21 „ „nonnullis"
„ 14 l. 2 „ „loco"
„ 15 l. 12 „ „allatis"
„ 16 l. 5 „ „quandam"
„ 18 n. 5 l. 2 leg. „ec"
„ 21 n. 2 l. 3 „ „Bajocassini"
„ 21 n. 2 l. 4 „ „Bajocassinos"
„ 24 l. 11 „ „imposuere"
„ 27 n. 3 l. 1 „ „μοῖραν"
„ 29 l. 17 „ „litora"